PA 6296
.C8 S4
Copy 1

DE

CICERONIS CONSOLATIONE

DISSERTATIO

QUAM

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM

AUCTORITATE

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES RITE OBTINENDOS

DIE XXIII. MENSIS JUNII ANNI MDCCCLX

HORA XI.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

BERNARDUS AUGUSTINUS SCHULZ

VALCENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

M. BERCHEM, DRD. PHIL.

H. HUELSMANN, CAND. MATH.

K. GENSICHEN, STUD. PHIL.

GRYPHIAE,

TYPIS FRIDERICI HACHE.

PA6296
.C8S4

DE

CICERONIS CONSOLATIONE

DISSERTATIO

BERNARDUS AUGUSTINUS SCHULZ

VALCENSIS.

Dass sie am Schmerz, den sie zu trösten
Nicht wusste, mild vorüberführt,
Erkenn' ich als der Zauber grössten,
Womit uns die Antike rührt.

Lenau: Savonarola.

Praefatio.

Ante Ciceronis aetatem philosophiam neque gratam fuisse Romanis, neque apud eos ortam, sed a Graecis Romam pervenisse, omnibus est notum, neque mihi animus, hac de re loqui. Id solum commemorare velim, jam primis literarum latinarum temporibus nonnullos philosophiae vacasse, quorum tamen perpauci, quae studiis intellexerant, literis mandarunt, ita ut praeter aliquot fragmenta a posterioribus scriptoribus nobis servata nihil habeamus. Ciceronis demum temporibus philosophorum doctrina gratior facta est Romanis, ut vel honestissimi cives ad ejus studium refugerent. Quodsi quaerimus, unde factum sit, ut ea aetate permulti philosophiae studiis vacarint, facile perspiciemus, eum fuisse reipublicae statum, ut unius consilio atque cura gubernaretur omnesque, qui rempublicam administrare non possent, ad animorum dolores sanandos in philosophiam incumberent. Quorum omnium, qui latine philosophiam docuerunt, princeps fuit Cicero, qui ei, quae Romae peregrinari tantum videbatur, quasi civitatem dedit. —

Nostris adhuc temporibus permulti exstant ejus de philosophia libri, qui jam ab ejusdem aetatis ho-

minibus et viris aetate proximis summo studio legebantur, et nostro quoque tempore studiosissime retractantur; quo factum est, ut de Ciceronis literis multa diversi generis opuscula suppeditent, et de nullo scriptore tanta librorum multitudo composita sit, quanta de nostro. —

Si vero quaerimus, cur in tantam hominum doctissimorum commendationem venerit Cicero, facilis et prompta est responsio. Sunt enim plures rationes, quibus effectum est: diligentia et copia elocutionis, solertia pertractationis, doctrinae salubritas atque temperantia. Fuit, ut ajunt, Ciceroni sanitas quaedam animi a natura innata atque hominum usu corroborata, quae imprimis effecit, ut in virtutum via ostendenda veram naturae humanae conditionem sequeretur, neque minus recte vitiorum originem aperiret. Accedit, quod non versabatur in aliquo certo literarum genere, neque in una re, vel in arte oratoria, vel in philosophia quasi tabernaculum vitae collocabat, sed varia studiorum genera aggressus est, quam ob rem inter multa alia diversi argumenti scripta librum consolationis seu de luctu minuendo confecit, ut sibi aliisque, qui in maerore jacerent, solatio esset praeceptis ex philosophia et vitae usu petitis. Omnium quidem antiquorum communis fuit sententia, vitam postponendam esse morti; nihilominus in luctu erant, si quid adversi iis accidit. Neque tamen defuit maerentibus auxilium. Philosophi enim plane omnes opitulari atque solatia afferre iis, qui in calamitatibus versabantur, doloremque

minuere studebant; quo factum est, ut complura opera exsisterent, quibus de dolore et morte ita agebant, ut magnam non esse calamitatem, qua opprimerentur maerentes, demonstrarent atque ita doloribus afflictos consolarentur. Dolendum est nobis, ex tanto ejusmodi argumenti scriptorum numero tam pauca ad nostram integra pervenisse aetatem, ut de plurimis non possit judicari nisi ex paucis iisque saepissime mutilatis fragmentis, qua re efficitur, ut plane nos lateat, quibus maxime rationibus atque argumentis ad sedandos dolores usi sint et quomodo diversam singulorum, qui maereant, indolem in consolando respexerint. Neque minus profecto dolemus, quod ne Ciceronis quidem consolatio commune antiquorum librorum naufragium evaserit; sed quo nos ipsi consolemur, habemus, quum fragmenta quaedam libri licet paucissima in Hieronymi, Lactantii libris, in ipsiusque Ciceronis Tusculanis disputationibus servata, ad nostra pervenerint tempora. Quum autem ad literarum historiam non solum integra nobis servata scripta, sed etiam libri, quorum fragmenta tantum exstant, pertineant, quumque naufragia colligere lacunasque explere, ut, quoad fieri possit, solidam librorum effigiem habeamus, philologorum sit, jam pridem Fridericus Schneider, praeceptor olim mihi amicissimus doctissimusque, omnis industriae nervos intendit, ut damnum expleret. Quod quum equidem, quia nonnullas res invenisse mihi videor, de quibus non idem sentio cum Schneidero, item agere velim, id mihi videtur faciendum, ut fragmenta restituam

eaque sic exigam, ut quaeram, quid a Cicerone scribi potuerit, et quid eum scripsisse testimonia argumentaque ostendant, quo melius ejus consolandi ratio appareat. Quae si fecero remque ipsam accuratius examinavero, satis fecisse mihi videor priori dissertatiunculae parti. —

Altera autem nobis restat pars. Inter omnes eruditos constat, fere nullum antiquum scriptorem nobis esse superstitem atque servatum, quin multas depravationes vel librariorum aliorumque hominum incuria vel fraude expertus sit, ita ut libri variis ἐμβλήμασιν atque additamentis sint deformati [1]). Neque vero additamenta solum, sed saepissime etiam integra opera sub ementito alicujus scriptoris nomine confecerunt falsarii, ducti quadam vanae gloriolae cupidine, quum facillime sese posteritati tradi putarent, si aliorum et clarorum quidem scriptorum nominibus libri sui circumferrentur. Atque multo facilius erat, integra opera conficere, quam locum aliquem libris genuinis inserere, quum saepissime essent descripti, neque in omnes falsarii verba irrepere possent spuria. Una nos adjuvat res in quaestionibus, utrum vera atque genuina scripta sint ejus, cujus sub nomine circumferuntur, necne; plurima enim opera scriptoribus antiquis supposita eam habent sermonis formam, quae ab illorum similitudine longe abest; saepissime quoque argumentum tale, ut falsarium neque scribendi

1) cf. G. Pinzger, de vv. spuriis et male suspectis in Juvenal. satiris diss. Vratisl. 1827. pg. 1.

generis vestigia neque temporis indicia semper occultare studuisse manifestum sit. Non omnes enim libri sub nomine ementito nobis servati originem debent fraudi, sed saepius, opinor, accidit, ut opera quaedam ab auctoribus non in fraudem, sed exercitationis et stili gratia componerentur, quibus scriptis postea, longo intervallo interjecto, ab aliis viris, postquam ipsi in errorem sunt inducti, clarissimorum scriptorum nomina dabantur. — Quibus in scriptoribus, quorum nomine saepissime falsarii et auctores male sunt usi, ut sui ingenii fetus falso nomine venditarent, est etiam Cicero, cujus sub nomine circumfertur consolationis liber, qui, ut jam pridem viri docti contenderunt, ab alio quodam homine conscriptus est, et de quo in altera dissertationis parte scribere institui. Quum enim nostrates, Sigonium fuisse libri scriptorem, fere omnes probaverint, equidem, ut disputatione procedente videbimus, id ago, ut demonstrem, eum consolationem non scripsisse, quamquam non ignoro, hanc rem maximis difficultatibus esse obstructam. Sed difficultates magis stimulant, ut opinionem, quam diu habui, mentisque cogitata pronuntiem, praesertim quum ducar spe, fore ut sententia mea forsitan argumentis confirmata assensione comprobetur. Quam ob rem quoniam fere nemo est inventus, qui peculiarem hoc in libro operam atque curam consumpserit, hac, qualiscunque erit, dissertatione libri a Sigonio abjudicandi periculum faciam, consolatus cogitatione:

„Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.“ —

Quod ad sententiarum ordinem in quaestione nostra instituendum pertinet, semper maximam dabo operam, ut integrum certumque judicium sequar, et a rebus non refutatis ad incerta aut dubia inquirenda progrediar. Sed haec de dissertationis consilio atque ratione dicta sunto.

Priusquam autem ad rem ipsam accedo, eos sum indicaturus, quorum ex scriptis ea, quae sequuntur, hauserim. „Est enim“, ut recte monet Matthiae, „non minima laus artis et ingenii, ea, quae jam ab aliis bene excogitata vel dicta sunt, alio consilio vel in argumento alio, aliis verbis, nec tamen minus bonis, iterum dicere, et aliorum sententias atque inventa in usum suum ita convertere, ut ab ipsius scriptoris ingenio profecta, e re ipsa nata et nova esse, non ab aliis usurpata videantur.“ Quae quum ita sint, reprehensionem me non capturum spero, si quorum virorum ex scriptis hauserim, eos singulis locis saepissime non laudavero. Sunt autem libri, quibus usus sum, fere hi:

1. August Matthiae: loci nonnulli libri I. Tusc. disp. cum locis Aeschinis et Plutarchi comparati (in: Vermischte Schriften in lat. und deutscher Sprache. Altenburg 1842.)
2. G. B. Scharffii diss. de vero auctore consolationis (in: Miscell. Lips. Tom. VI., observat. 130, pag. 128 sqq.)
3. J. A. C. van Heusde: M. Tullius Cicero *φιλοπλάτων*. (C. V. p. 241 sqq.)

4. A. C. van Heusde: diatribe in locum philosophiae moralis, quae est de consolatione apud Graecos. Traject. ad Rh. 1840.

5. Carl Sigonius, einer der grössten Humanisten des 16. Jahrhunderts, geschildert von Dr. Joh. Phil. Krebs. — Frankfurt a. M. 1840.

6. C. Crome: Quid Graecis Cicero in philosophia, quid sibi debuerit, quaeritur. Gymn.-Progr. Düsseldorf 1855.

7. Sigonii Opera. Mediolan. 1737. (Tom. VI. pag. 885 sqq.)

8. Fridericus Schneider: de consolatione Ciceronis diss. Vratislav. 1835.

9. Gasparini Barzizii Bergomatis et Guinoforti filii opera ed. Josephus Alexander Furiettus. (pars prima.) Romae 1723.

Praeter libros, quos nominavi, aliis multa me debere non ignoro, quos paene omnes suis locis afferam. — Seriem disputationis ita continuabo, ut priori in parte ostendam, quo consilio Cicero librum de luctu minuendo scripserit, quos auctores sit sequutus, quale fuerit consolationis argumentum; in posteriori autem parte quaestio erit de consolatione nobis servata, et qualis fuerit ejus fortuna, et utrum sit a Sigonio scripta necne, explicabo; postremo vero loco faciam de eo, qui mea opinione fuerit consolationis nostrae auctor, conjecturam. Nam ita spero rem melius illustratum iri. Sed facere non possum

praefandi finem, priusquam lectores atque judices, si forte me errantem deprehenderint, ad ignoscendum propensiores fecero eo, quod antea ipse deprecatus fuero errores excusatione. Quo facto, jam nunc animo fidenti rem propositam aggrediar. —

Pars prior.

De Ciceronis consolatione.

Caput I.

Quo tempore et consilio scripsit librum Cicero?

Tullia, Ciceronis filia, quae nupserat Dolabellae eique filium pepererat, ex partu mortua est sive Romae sive in Tusculano; potest enim ex epistolis Ciceronis eo tempore scriptis minime colligi, ubi sit mortua [1]). Quo anno morti succubuerit, constat: fuit enim a. 709 urb. cond.; sed quod attinet ad mensem mortis atque diem, diversae sunt doctissimorum virorum sententiae, omnesque Ciceronis interpretes aut Januario, aut Februario, aut, ut perpauci iique auctoritate praediti viri, Martio mense [2]) vita eam defunctam esse volunt. Quarum sententiarum ea, quae Tulliae mortem ante Martium mensem accidisse negat, maxima fide digna videtur, atque eo magis est probabilis, quod omnes epistolas, in quibus prima Tulliae mortuae mentio versatur, non scripsit Cicero ante Martium. —

---

1) Rectissime hac de re Orellius mihi videtur judicasse, qui in ed. Cic. opp. (vol. VI., part. I., pag. 91 sq.) scribit, narrationes omnes de Tulliae morte diversas ita conciliari posse, ut dicamus, Tulliam quidem etiam post discidium factum habitasse in Dolabellae domo ibique peperisse; ex partu autem postquam convaluit, in Tusculano, quum in morbum incidisset, ei succubuisse.

2) cfr. Cic. de natura deorum, ed. Schoemann. praef. p. 19.

Acerbissime tulit Cicero calamitatem neque id mirum potest videri, si cogitaverimus magnum illum erga filiam amorem, qui in omnibus scriptis, in quibus ejus mentio fit, spirare videtur, neque patrem vituperare possumus de querelis, quas legimus in epistolis ad amicos, praesertim ad Atticum datis (lib. XII. et XIII.), quamquam saepissime dignitatis suae est immemor. Dicere quidem nobis non licet, quatenus Tullia amorem meruerit: attamen ex Ciceronis vita et moribus effici cogique potest, omnia illa, quorum adversarii suspectam reddere eam conati sunt, falso ficta et commenticia esse. Nihil igitur aliud nisi falsa insimulatio est in verbis, quae olim Sallusti nomini addíxerunt viri docti, quamquam ut nunc plerique sentiunt, alium habent auctorem, in quibus scriptor, quisquis est: „Verum, ut opinor, inquit, splendor domesticus tibi animos tollit: uxor sacrilega ac perjuriis delibuta; filia matris pellex, tibi jucundior atque obsequentior quam parenti par est“ [1]) — neque opinor, ea verba testimoniis longe et undique petitis confutanda esse, quum nusquam apud scriptores, quibuscum Cicero vivebat, ulla indicia atque vestigia reperiantur, ex quibus talis ejus nequitia colligi possit. — Quae utcunque sunt, negari non potest, filiae mortem patri tam magnum attulisse dolorem, ut hominum aditus sermonesque defugiens sese in silvae atque praedii solitudines reciperet, ubi se doloribus et literis tradidit, quod epistola ad Atticum scripta ipse confitetur: „In hac solitudine, inquit, careo omni colloquio; quumque

1) vid. Pseudosallusti in M. Tullium Ciceronem declam. (cap. II., §. 2.), in: Cic. opp. ed. Klotz. Partis IV., vol. III., pag. 355.

mane me in silvam abstrusi densam et asperam, non exeo inde ante vesperum. Secundum te nihil est mihi amicius solitudine. In ea mihi omnis sermo est cum literis. Eum tamen interpellat fletus; cui repugno, quoad possum. Sed adhuc pares non sumus.“ [1]) Qua in solitudine animo proposuit, filiae monumentum ponere, quam ob rem Attico saepe mandavit curam, ut locum ad monumentum exstruendum maxime idoneum emeret. Haec quidem res Ciceronem forsitan in nonnullorum invidiam vocare possit, quia ipsum monumenti erigendi consilium aperiat sententiam, ut voluerit jactare luctum, quum non sit signum patris infelicis, si, ubi fanum ab omnibus conspiciatur, id exstruere voluerit [2]): sed si omnia velimus perpensare, pater excusari potest. Dolor ejus magnus, non autem condemnandus fuit; causas Cicero ipse nobis affert. Sulpicio enim, qui ad ipsum literas consolatorias miserat, scripsit [3]): „Turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu, tali sapientia praeditus, ferendum putas. Sed opprimor interdum et vix resisto dolori, quod ea me solatia deficiunt, quae ceteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt.“ Et postquam exempla sibi proposita, quia ad

---

1) ad Attic. XII., 15. —

2) Ciceronem haec voluisse, satis demonstrant ipsius ad Atticum scripta verba XII., 19: „Est hic quidem locus amoenus et in mari ipso, qui et Antio et Circaeis aspici possit; sed incunda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum, quae innumerabiles fieri possunt in infinita posteritate, si modo haec stabunt, illud quasi consecratum remanere possit. — Nihil enim video, quod tam celebre esse possit“ etc. cfr. XII., 36. 37. —

3) ad famil., IV. 6. —

suum casum non essent apta, rejecit, subdit: „Mihi autem, amissis ornamentis iis, quae ipse commemoraras quaeque eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotiis, non reipublicae procuratione impediebantur cogitationes meae: nihil in foro agere libebat: aspicere curiam non poteram: existimabam, id quod erat, omnes me et industriae fructus et fortunae perdidisse. — Nunc autem hoc tam gravi vulnere etiam illa, quae consanuisse videbantur, recrudescunt. Non enim, ut tum me a republica maestum domus excipiebat, quae levaret, sic nunc domo maerens ad rempublicam confugere possum, ut in ejus bonis acquiescam.“ — Sic de doloribus suis Cicero ipse, qui, ut verba modo allata testantur, sentiebat, quantae auctoritatis Tullia, quae, si cum ea adversam fortunam conquestus erat, semper solatii habuerat aliquid, ipsi fuisset; qui haud ignorabat, quanta sibi esset jactura eo tempore, quo a republica administranda procul aberat; qui dolorem de Tulliae morte reprehendi posse negavit, postquam amisit unum, quo tenebatur, neque minus habere quidquam offensionis existimavit, si dolores non essent tanti, quantum filiae pretium fuisset, quam ob rem ad Atticum sibi amicissimum scripsit, sese suo judicio multo malle stare, quam omnium reliquorum [1]). —

Argumentum, si eo opus esset, de doloris magnitudine firmissimum traditum est apud Plutarchum, qui refert, Ciceronem Publiliae repudium misisse, quia filiae morte visa esset laetari, quique auctor est, undique tum et

1) ad Attic. XII., 21, 5. —

philosophos et amicos ad Ciceronem convenisse et epistolas consolatorias misisse [1]), qui, si non auferre, tamen minuere dolores adhortationibusque efficere studebant, ut calamitatem aequo ferret animo neque ad desperationem se maerore duci sineret. Cicero et ipse commemorat epistolam a Bruto sibi missam: quas literas, quamquam et prudenter et amice scriptas, multas attulisse lacrimas, non adjuvisse dicit [2]). L. quoque Luccejus eum consolari est conatus per literas, quas adhuc servatas habemus (ad fam. IX., 14.). Nec minus Dolabella gener, brevi post Tulliae mortem, ut ex Ciceronis responso apparet, (ad fam. IX., 11.), operam dedit, ut per literas consolaretur patrem, cui et ipse Caesar epistolam consolatoriam, pridie Cal. Maj. Hispali scriptam misit [3]). Praeterea amicum consolatus est libello, quem jam commemoravimus, Ser. Sulpicius, cui Cicero epistola, ex qua verba aliquot attulimus, respondit. Quod attinet ad ea, quae Sulpicius in literis scribendis spectaverat [4]), quamquam erant difficillima, tali modo effecit, ut unum quemque, cujus dolor luctusque non fuisset tantus, qui minus maerorem fovisset, consolatus esset. Sed omnem consolationem vicit dolor. —

Quae quum ita essent, Cicero ipse sese per literas consolari ideoque librum de luctu minuendo scribere instituit. Quod consilium postquam cepit, omnes libros, qui utilitatem aliquam afferre possent, perlegit, cujus rei ipse est auctor hisce: „Nihil enim de maerore minuendo scriptum

---

1) Plutarch. vit. Cic. c. 41. —
2) ad Attic. XII., 14, 4. —
3) ad Attic. XIII., 20, 1. —
4) cfr. ep. ad fam. IV., 5, 1. —

ab ullo est, quod ego non domi tuae legerim. — Quin etiam feci, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per literas consolarer" etc. [1]). Et eo quidem tempore, quo amici animum ejus fractum putaverunt, eumque firmitatem atque constantiam abjecisse, sunt opinati, opus est aggressus. Natura enim adversante et repugnante fieri non potuit, ut Cicero, silentio usus diuturno, cogitaret de molestia, qua erat afflictus; dolor ipse fieri debebat quasi res objecta. Sed ne hac quidem re erat contentus; gemitus et lamentationes non in libri solum, sed etiam in operis summo artificio confecti formam erant redigendi. Quantum autem defuit, ut libris suis philosophis studii ingeniique fructum sibi soli pararet, tantum quoque aberat, ut hoc libro scribendo se ipsum solum consolaretur, ut, quum ea, quae Graeci philosophi de consolatione in luctu minuendo adhibenda praeclare statuissent, distincte atque ornate explicaret et exemplis ex historia desumptis pulcherrime illustraret, ut civibus omnibusque, qui consolatione egerent quique eodem in casu quo ipse versarentur, prodesset. Quam ob rem consolationem illam non sibi ipsi, sed potius posteris scripsit, qui, quum opus esset, librum in manibus haberent, unde malorum solatium et medicinam petere possent. Jam igitur videmus, non solum non impulsum impetu quodam scripsisse Ciceronem, sed maximo cum studio ac ratione. Quanta et quam singularis animi vis atque constantia in carissimae filiae morte! fortasse exclamamus; sed non recte pro Ciceronis ingenio. Quod quum ageret Cicero, totus studiis

---

1) ad Attic. XII., 14, 3. –

literarum atque philosophiae recreatus et sibi ipsi redditus est; dolores remittunt aculeosque emittunt; ipse autem ex libri argumento non minus magnam voluptatem cepit, quam ex scribendi genere atque modo; et dum legit et, quae legit, effingit, de Graecis in linguam latinam vertit et opus, quod sibi proprium esse videbatur, suo arbitratu factum maximo cum gaudio aspicit, omnes dolores atque molestias oblitus est. Itaque ad Atticum, qui ipsum a maerore recreare voluit, scribere potuit, sese dolore non solum non esse oppressum, sed etiam librum scripsisse optimum: „Quem librum, inquit, ad te mittam, si descripserint librarii. Affirmo tibi, nullam consolationem esse talem [1]).“ — Proximum igitur consilium, quod Cicero in libro scribendo sequutus est, fuit, ut et alios et sese ipsum maxime consolaretur, quod, quantum voluit, est assequutus, ut verba libri de divinat. II., cap. I., §. 3, ostendunt, quibuscum conferenda sunt, quae ad Atticum scribit (XII., 28): „Quod me ipse per literas consolatus sum, non poenitet me, quantum profecerim. Maerorem minui; dolorem nec potui, nec, si possem, vellem.“ —

At alia quoque fuit consolationis scribendae causa. Ex Schützii enim interpretatione epistolae ad Dolabellam (famm. IX., 11, 2.), qua Cicero genero gratias egit ob proelia contra adversarios sustenta, constat, obtrectatores quosdam, ut Caesaris odium in Ciceronem concitarent, hunc criminatos esse, dolores ejus non esse tam graves ob Tulliae obitum, quam reipublicae causa, quam administrare jam non liceret. Cicero quidem ipse,

---

1) ad Attic. XII., 14, 3. —

magno in luctu sese fuisse propter rempublicam, omnibus hoc tempore ad Atticum scriptis epistolis ostendit, praesertim ep. 21. libr. XII., ubi scribit: „Quod me in forum vocas, eo vocas, unde etiam bonis meis rebus fugiebam. Quid enim mihi cum foro sine judiciis, sine curia, in oculos incurrentibus iis, quos aequo animo videre non possum?“ —: sed hanc calumniatorum injuriam inultam impunitamque dimittere non potuit; crimen ab ipso defendendum erat. Plurimum igitur interesse ipsius debebat, ut, qui falsas criminationes confinxerant, in eorum oculis, maxime autem coram Caesare omni culpa carere videretur, quam ob rem erat demonstrandum, maerorem nullum esse, nisi ob ereptam morte filiam. Quod quum alio modo facere non posset, illuc ei erat confugiendum, ut librum componeret, quo posset ostendere, sese omnino tantopere neque lugere, neque esse fracti atque afflicti animi, quum non potuisset dolorum medicinam accipere, qui esset animo abjecto atque demisso quique dolore debilitaretur. Dicit autem ipse, sese non longius progredi velle, quam concederent doctissimi viri, „quorum scripta (liceat afferre ipsius Ciceronis verba,) omnia, quaecunque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis aegroti accipere medicinam, sed in mea etiam scripta transtuli, quod certe afflicti et fracti animi non fuit [1]).“ — Quum autem in libro, quem de luctu minuendo scripsit, testimonia essent afferenda infracti animi, constantiae firmitatisque nunquam amissae, tantam re vera consequutus est animi stabilitatem, ut etiam ad

1) ad Attic. XII., 21, 5.

Atticum scribere conetur: „Quod scribis, te vereri, ne et gratia et auctoritas nostra hoc meo maerore minuatur, ego quid homines aut reprehendant aut postulent nescio. Ne doleam? Qui pot'est? Ne jaceam? Quis unquam minus? Dum tua me domus levabat, quis a me exclusus est, quis venit, qui offenderet? Asturam sum a te profectus; legere isti laeti, qui me reprehendunt, tam multa non possunt, quam ego scripsi. Quam bene, nihil ad rem: sed genus scribendi id fuit, quod nemo abjecto animo facere posset [1]).“ Aliud quoque firmitatis testimonium habemus in verbis, quae Lactantius de consolatione fecit, sese nihil invenisse aegri animi in libro. „Fortasse dicat aliquis, inquit, prae nimio luctu delirasse Ciceronem. Atqui omnis illa oratio, et doctrina, et exemplis, et ipso loquendi genere perfecta, non aegri, sed constantis animi ac judicii fuit, et haec ipsa sententia nullum praefert indicium doloris. Neque enim puto, illum tam varie, tam copiose, tam ornate scribere potuisse: nisi luctum ejus et ratio ipsa, et consolatio amicorum, et temporis longitudo mitigasset [2]).“ — Qua tamen in re quaerenda sit illa animi constantia atque stabilitas, jam ex verbis Ciceronis supra allatis patet; et quamquam Cicero, sese animi firmitatem non amisisse, argumentis probare studuit, tamen non est, quod putemus, ipsum omnino non fuisse afflictum dolore; videmus enim diversam fuisse ipsius de statu in libro scribendo existimationem neque semper eandem, quum et virtutem suam in doloribus ferendis

1) ad Attic. XII., 40, 2. —
2) Lact. inst. I., 15, 21 sq. —

servatam glorietur et brevi post confiteatur, sese aegritudine afflictum debilitatumque fuisse. Cujus rei maxiximum argumentum praebent Lactantii verba, quibus: „M. Tullius, inquit, in sua consolatione pugnasse se semper contra fortunam loquitur, eamque a se esse superatam; — tum autem, quum amiserit carissimam filiam, victum se a fortuna turpiter confitetur [1];“ quibuscum Lactantii verbis optime consentiunt, quae ipse Cicero contendit, sese naturae vim attulisse, ut magnitudini medicinae doloris magnitudo concederet, consolationisque librum medio in dolore atque maerore conscripsisse; „non enim sapientes eramus,“ ipse refert [2]). Cicero igitur, ut jam dixi, librum consolationis seu de luctu minuendo scribendum tum aggressus est, quum amici ipsum maerore afflictum putarunt, eumque brevi temporis spatio composuisse videtur, summas certe rerum attigit. Quamquam enim Tullia ante Martium mensem non est mortua, tamen eodem mense librum confecit, confectumque jam commemorat ep. ad Attic. XII. 28 [3]). Quacum sententia Lactantii verba dissentire videntur, qui „temporis longitudinem“ inter filiae mortem et librum scriptum interjectam fuisse sumpsit. Sed illa dissensio atque controversia facile tolli potest. Lactantius enim ex libri elegantia atque nitore collegit temporis longitudinem:

---

1) Lactant. inst III. 28, 9. —

2) Tusc. disputt. IV. 29, 63. cfr. eod. III. 31, 76.

3) cfr. ad Attic. XII. 14. Recte Joannes de Gruber in libro, qui inscribitur: quaestio de tempore atque serie epistolarum Ciceronis (Sundiae 1836), pagg. 24 et 25, demonstravit, omnes epistolas, consolationis mentionem facientes, Martio mense scriptas esse.

Cicero autem, libro Martio mense composito ac confecto, paulatim scribendi genus expolire librumque lima persequi potuit. — Quem librum tam brevi temporis spatio scribere potuisse Ciceronem apparet ex ipsius verbis, quibus auctor est, sese haud diu materiam ad libros scribendos aptam colligere, sed solere quam celerrime scribendi argumenta occupare neque minus celeriter et uno tenore formare, quum sibi molestum sit, si institutam scripturam interrumpere cogatur; vel ut ipsa verba afferam: „Et ego animi pendere soleo, inquit, quum semel quid orsus sum, si traducor alio; neque tam facile interrupta contexo, quam absolvo instituta [1].“ Quae quum ita sint, quumque Ciceronem, antequam librum scribendum susceperit, legisse constet, eo magis consolatio tam brevi tempore confici potuit. Qualis vero mos ejus fuerit in omnibus scriptoribus legendis, intelligi potest ex libr. de invent. (II. 2, 4.); quod quisque optime praeceperat, quodque cognitu dignissimum videbatur, excerpebat, ut postea, si ipsi esset scribendum, larga exoriretur rerum materia. Accedit, quod non erat magnae meditationis consolatio, quippe quae cogitationes et sententias ex aliis scriptoribus petitas contineret; Cicero enim ipse fere verbis tantum, quibus abundavit, Graecorum placita expressit. —

Haud ita multo post, quam conscriptus est liber, editus quoque esse videtur, quamquam, quum certa nobis desint testimonia, pro certo haberi nequit, quando sit emissus. Attamen quum in Tuscull. disputt. saepissime libri nostri mentio fiat, quumque in iis jam satis nota

1) de legg. I. 3, 9.

consolatio respiciatur, hisce ex rebus recte effici cogique potest, librum nostrum ante Tusculanas esse editum. Quae disputationes quum jam anno 709 sint inchoatae, eo anno confecta consolatio jam sit edita in vulgus oportet. Alia accedit ratio. — Ciceronis enim, cui, ut supra vidimus, crimini dabatur, animi constantiam ob rempublicam sub unius potestatem redactam esse amissam, permagni interesse oportebat, ut sese quam celerrime culpa liberaret, et liber de luctu minuendo, quum eo consilio scriberetur, primo quoque tempore edendus ac pervulgandus erat. — Quo modo autem exceptus sit liber, neque certis auctoribus comperiri potest neque divinari, nisi ex judiciis de reliquis libris factis concludere liceat, nostrum quoque opus maxima cum approbatione lectum esse. —

Postquam igitur, cur et quando Cicero consolationem scripserit, satis, ut opinor, certiores facti sumus, restat, ut de loco, quo scriptum sit opus, et quo modo quoque scribendi genere sit compositum, pauca afferamus. Quod attinet ad locum, constat ex epistolis ad Atticum (XII. 14. 28), quae Asturae sunt scriptae, ibi etiam librum scripsisse Ciceronem. Libri autem forma pariter incerta est, atque successus, neque quidquam ex ipsis Ciceronis verbis exprimi potest, quum consolationem appellet literas, quae vox, ut multis ex locis apparet, unumquemque, quo philosophiam tractavit, librum significat: pro certo tamen haberi potest, Ciceronem non eodem modo consolationem composuisse, quo alios libros philosophos, sed continuae orationis ac dissertationis forma esse usum; jam enim ab argumento postulabatur continens opus. — De scribendi

autem ratione ad librum adhibita, quae divinari magis quam cognosci potest, aliquid afferre, necesse jam non habeo; eam enim elegantem fuisse atque copiosam, videri potest ex libris, qui simile habent argumentum, velut ex Tuscull. disputt., quarum scribendi genus satis elegans est et copiosum. Accedit, quod Lactantius verbis supra allatis ejusdem rei est auctor. — Sed haec de libri scripti tempore et ratione dixi; ad aliam igitur quaestionem transeamus. —

Caput II.

Quibus scriptis usus est Cicero ad consolationem?

Cicero, qui libros ad philosophiam pertinentes haud paucos edidit, ne unum quidem eorum composuit, in quo non est sequutus alios scriptores. Cujus rei ipsum facere possumus testem, quum permultis locis, immo in unoquoque de philosophia librorum exordio fatetur, sese ex Graecorum fontibus uberrime hausisse. Omnes autem libri ita sunt compositi, ut facile intelligi possit, quorum scriptorum ex libris suum hauserit Cicero, si ipse non confitetur, quae scripta sibi maxime ob oculos sint versata. — Quod quidem in aliis literis fecit, id sane in consolatione non neglexit. Supra jam Ciceronem vidimus fatentem, sese omnes libros, de luctu minuendo ab ullo scriptos, legisse. Quod testimonium, quamquam certum, tamen non est unicum; ab ipso enim gravissimum nobis servatum est aliud argumentum, quum ad Atticum scripserit, sese non legisse solum libros, sed iis etiam usum

esse eosque in sua scripta transtulisse. Sed praestat ipsa Ciceronis verba repetere atque adscribere. „Scripta omnia, inquit, quaecunque sunt in eam sententiam, non legi solum, — sed in mea etiam scripta transtuli“ [1]) Quod attinet ad rationem, quomodo iis sit usus, pauca afferre placet, quum nonnunquam falsae hac de re sententiae scriptae sint et scribantur. Cicero enim ipse ut, quomodo scriptores adhibuisset, exprimeret, vocabulo usus est „sequi;“ quam vocem non usurpavit, ut significaret, sese anxie eorum vestigia sequutum sine judicio verbum verbo reddidisse: quo verbo potius describit, non ex se ipso natum sibi esse argumentum, sed aliunde sese sumpsisse ut mutuum, sumptumque ad suum arbitrium concoxisse. Omnium maxime respicienda sunt Ciceronis verba huc pertinentia, quibus, quomodo aliorum scripta adhibuerit, demonstrat: „Sequimur igitur, inquit, hoc quidem tempore et hac in quaestione potissimum Stoicos, non ut interpretes, sed ut solemus, e fontibus eorum judicio arbitrioque nostro, quantum quoque modo videbitur, hauriemus.“ [2]) Ipse igitur fatetur, sese non esse interpretem, sed et omnia deligere exactissimoque judicio examinare, neque recipere nisi optima quaeque, neque vehementer retinere eadem verba, sed sua quadam libertate et elegantia in disputando uti; quae verba non pertinent ad solos officiorum libros, sed etiam ad alios, quod verba „ut solemus“ significant. Quatenus autem suum judicium adhibuerit, reliquis ex scriptis facile videri potest. Sequitur enim summatim librum, quem delegit,

1) ad Attic. XII. 21, 5.
2) de offic. I. 2, 6.

locis autem aliunde sumptis exemplisque ex historia et Graecorum et Romanorum petitis argumentum dilatat. Rectum hac de re judicium fecit Kühnerus, cujus verba dignissima, quae semper legantur, transferre in scriptiunculam nostram praestat: „In aliis, inquit, philosophicis scriptis hanc secutus est rationem, ut unum potissimum, quem sequeretur auctorem, ob oculos haberet, et ad eum suum imitandi studium componeret, nec tamen eum converteret, sed ex ejus sententiis atque decretis tantum delibaret, quantum ad rem et consilium suum maxime facere videbatur. Neque ceteros, qui idem argumentum pertractaverunt, prorsus neglexit, sed quae in singulis rebus ab iis elegantissime erant aptissimeque disputata, elegit etc.“ [1]) Sed haec de Ciceronis aliorum scriptorum imitatione. — Ut in omnibus igitur, quos conscripsit, libris plurimas sententias e graecorum philosophorum fontibus haustas revocare possumus ad justum verumque auctorem: sic quoque librum de luctu minuendo scriptum velut rivulum ex diversis fontibus ad suam quamque originem reducemus; quam ob causam ad rem ipsam, quae agitur, transeamus, ut disputemus de scriptoribus, quibus Cicero ad huncce librum usus esse videtur, quorum sane major est numerus, quam demonstrari et inveniri potest; plurimos enim sola conjectura perspicere nobis licet. Notum autem est, omnibus in libris de philosophiae partibus scriptis non unius philosophi disciplinam subtilius exposuisse vel refutasse

---

1) Kühner, M. Tullii Ciceronis in philosophiam ejusque partes merita (p. 90).

Ciceronem, sed hanc fere viam iniisse, ut philosophorum sententias undique decerptas congereret atque inter se conferret, de iis dissereret ex iisque probaret, quas ad veritatem maxime accedere censeret. Quae quum ita sint, aliud nobis, scriptores a Cicerone consolationi adhibitos afferentibus, animadvertendum est, Ciceronem ad animum luctu levandum sese non ad Stoicos convertisse, quippe quorum, quum magnam partem in partiendis et definiendis animi perturbationibus occupati essent, oratio, qua animis mederentur, perexigua esset: [1]) sed potius academiae disciplinam sequutum esse, attamen ex aliorum quoque philosophorum placitis optima quaeque elegisse. —

Quae postquam vidimus, jam nunc in scriptoribus, qui de consolatione egerunt quorumque ex fontibus Cicero maxime hausit, commemorandis primum pervenimus ad Crantorem. Quis fuerit hic Crantor qualesque libros composuerit: exponere non est hujus loci. Id solum proferre liceat, hunc Crantorem Solensem, academicum, praeter magnum aliorum scriptorum numerum, quorum Diogenes Laërtius mentionem fecit, [2]) consolationis quoque seu *περὶ πένθους* librum confecisse, quem misit ad Hippoclem quendam, ut eum consolaretur de filiorum obitu, simulque consolandi argumenta colligens leniret dolores aliorum, qui eadem calamitate iisdemque casibus premerentur, et ut nimiam maestitiam itemque indolentiam improbaret, quippe quae humanae naturae con-

---

1) Tusc. IV. 5, 9.

2) IV. 5, 2: *Καὶ κατέλιπεν ὑπομνήματα εἰς μυριάδας στίχων τρεῖς.*

trariae, immo damnosae sapientibusque viris indignae essent. [1]) Hic autem consolationis liber prae ceteris laudabatur, ut idem nobis testis est Diog. Laërt. [2]), et Cicero ipse, ut aliorum de libro judicia praetermittamus, summo cum verborum honore loquitur: „Legimus omnes Crantoris, veteris academici, de luctu; est enim non magnus, verum aureolus, et ut Tuberoni Panaetius praecipit, ad verbum ediscendus libellus.“ [3]) Sed quod multis accidit antiquitatis monumentis, ut deletrix rerum vetustas ea nobis invideret, idem quoque hic libellus est expertus; quae libri jactura magis est aegre ferenda, quum, ni esset deletus, ex eo intelligi posset, quale argumentum fuisset Ciceronianae consolationis. Cicero ipse enim est auctor, sese Crantoris vestigia sequutum esse in libro de luctu minuendo; exstant ipsius verba apud Plinium, qui in hist. nat. praef. scribit: „(Cicero) in consolatione filiae, Crantorem, inquit, sequor.“ [4]) Aliud accedit testimonium, quod prolatum est ab Hieronymo, cujus haec sunt verba: „Legimus Crantorem, cujus volumen ad confovendum dolorem suum sequutus est Cicero.“ [5]) — Auctores igitur locupletes habemus, Ciceronem usum esse Crantoris de luctu libello; quos etiamsi non haberemus, tamen ex Tuscull. disputt., quarum in simili argumento saepissime maximisque cum laudibus

---

1) cfr. Heusde, diatribe etc. pp. 45 sq.

2) *θαυμάζεται δὲ αὐτοῦ μάλιστα βιβλίον τὸ περὶ πένθους* (IV. 5, 6, vol. I., p. 280. Hübner).

3) Acad. II. 44, 135.

4) vol. I. p. 11, Sillig.

5) Epitaph. Nepotian. c. V.

Crantoris mentionem fecit, conjicere possemus, ipsum in Consolatione quoque eum esse sequutum. Quem Crantoris librum magis desideraremus, nisi servata nobis essent satis ampla fragmenta, quae in libro „*παραμυθητικὸς πρὸς Ἀπολλώνιον*“ nobis offert Plutarchus, qui et ipse Crantorem est sequutus. [1]) Quae quum ita sint, non veremur, ne nimium a vero aberremus, locos illos, qui in Tuscull. disputt. iidem inveniuntur atque in Plutarchi libro, ex Crantoris scripto haustos esse atque ita in Ciceronis consolatione fuisse contendentes. Sed hac quidem in re omne cautionis genus adhibendum erit, quoniam inveniri potest, Ciceronis Plutarchique libros nonnullos praebere locos, qui in Crantoris libro non fuerunt, quique aliis ex fontibus, ab utroque adhibitis, profecti sunt [2]). Cicero praeterea ipse, sese non solum Crantoris libro, sed etiam aliorum literis, quae eodem de argumento conscriptae erant, usum esse, atque ex iis in consolationem recepisse, verbis supra allatis testatur, quod ultro ex reliquo scribendi modo apparet, quum sit

---

1) De Crantore ejusque fragmentis, quae apud Plutarchum inveniuntur, vid. Fr. Schneider, comment de Crantoris libro, qui *περὶ πένθους* inscribitur, (in Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft. 1836. No. 104. sq.) — Fr. Kayser, de Crantore Academico diss. Heidelbergae 1841.

2) Rectissime hac de re Matthiae (p. 51.) hisce: „Ut vero Cicero, inquit, non se Crantoris solum, sed aliorum etiam scriptorum consolationibus usum esse, ipse testatur, sic Plutarchum etiam verisimile est. Certe quod uterque Callimachi versum eundem laudat, — ex alio quodam fonte communi utrumque sumsisse existimo. Nam in libro Crantoris, qui circa Ol. 120 floruit, non potuit dictum commemorari poëtae, qui eodem tempore vel serius etiam floruit.

notum, eum, ut sententiam approbaret, libentissime, si opus fuisset, aliorum opiniones recepisse. Quae quum sic se habeant, Cicero, quamquam in illo consolationis libro scribendo aureum Crantoris libellum respiciebat, tamen cum ejus placitis aliorum quoque philosophorum de animi perturbationibus doctrinam conjunxit atque iterum iterumque, ut ex Tuscull. disputt. libro III. patet, Crantoris, qui animi affectiones naturales esse dixerat, sententiam refellit. Attamen nos modum excessuros puto, si ex locis, qui iisdem fere verbis leguntur in Tuscull. disputt. et in Axiocho, qui dialogus de morte sub Aeschinis Socratici nomine fertur, effici velimus, Ciceronem hoc quoque dialogo in libro scribendo usum esse; quod Schneiderus in dissertatione statuit, quamquam ei erat concedendum, Ciceronem numquam hunc dialogum in Tuscull. disputt. commemorasse. Si quidem locos ex Tusculanis sumptos in contentionis judicium vocamus cum iis, qui similes in Axiocho inveniuntur, facile ex librorum consensione conjici potest, quod Schneiderus voluit, qui tamen ipse fatetur, accurata lectione similitudinem quandam inter Aeschinis et Plutarchi libros intercedere apparere, quam ob rem aut statuendum nobis erit, Plutarchum quoque ex Aeschinis libro hausisse, aut facilius adducimur, ut credamus, omnes tres libros Ciceronis, Plutarchi et hunc dialogum ex communi aliquo fonte esse haustos; quae quidem unica nobis exstat ratio ad librorum similitudinem atque consensionem recte explicandam. Si enim ipsam dialogi rationem et argumenta, quibus Socrates Axiochum aegrotantem a mortis metu avocat et consolatur, spectas, haud pauca ex Crantoris libro desumpta invenies,

quam ob rem neque dubito statuere, communem illum fontem fuisse celeberrimum Crantoris librum, neque me poenitet, Matthiaei sententiae esse, qui in libro laudato (p. 49.) demonstrare est ausus, dialogum ne esse quidem videri Aeschinis Socratici, qui Platonis fuit aequalis. Declarant enim scriptores, qui veri Aeschinis dialogum laudant, longe aliud fuisse argumentum, quam ob rem vocabula, quae illi scriptores Athenaeus et Pollux afferunt, in nostro libro servato non inveniuntur. Huc accedit, quod dictio, quam nobis praebet auctor Axiochi, nimium quantum abest a Socratis ejusque discipulorum elegantia simplici, ita ut Meinersius in commentatione, qua judicium de Axiocho affert, dixerit, portentosum ejusmodi scriptum a barbaro tantum vel semibarbaro homine exarari potuisse [1]). Cui judicio quamvis equidem subscribere nolim, tamen paene eadem mea de hoc libro est sententia. Nam si opinionem meam, quamquam haec quaestio hujus loci non est, afferre licet, nulla alia est, quam, dialogum hunc posteriori demum tempore, Alexandrinorum scriptorum aetate esse compositum. Quae quum ita sint, non est, quod Axiochum Ciceronis libri de consolatione fontem fuisse statuamus. At verisimillimum mihi videtur, Ciceronem non minus quam Tusculanis, ut Schützius conjecit, consolationi quoque Dicaearchi libros *Λεσβίακόν* sive de anima, et *Κορινθιακόν* sive de interitu hominum adhibuisse; non multum enim, ut infra videbimus, Ciceronis libri argumentum aberat a consilio Dicaearchi, qui homi-

---

1) cfr. Meinersii judicium de quibusdam Socraticorum reliquiis, in Aeschin. dial. edit. III., a Fischero curata, p. 39. sqq.

num mortem mortuorumque conditionem scriptis est persequutus, cujus tamen sententias Cicero, non ut eas probaret, sed ut refelleret, adhibuit, quod recte Schneiderus animadvertit (p. 11). Atque eo magis adducimur, ut Ciceronem Dicaearchi libris usum esse contendamus, quum notum sit, eum, Osanno judice, non argumenta solum ex Dicaearchi libris hausisse, sed etiam formam exteriorem et in libris partium dispositionem [1]). Accedit, quod Cicero ipse eum delicias suas appellat [2]) magnumque hominem nominat. Praeterea hic animadvertendum puto, magnopere ad minuendum dolorem valere sermonem, quo sententiae sibi contrariae de ipsa illa re, quam quis deplorat, ita proponuntur, ut, utra sit vera, argumentis demonstretur. Jam quod Cicero Atticum rogat, ut sibi Dicaearchi libros mittat, facile colligi potest, ejus magni atque copiosi philosophi placita ipsum non omnino in libro de luctu minuendo praetermisisse. Scribit enim noster: „Dicaearchi *περὶ ψυχῆς* utrosque velim mittas et *καταβάσεως*. — Tres eos libros maxime nunc vellem; apti essent ad id, quod cogito [3]).“ Sed fortasse dixerit quispiam, illam epistolam, consolatione jam scripta, esse missam ad Atticum, Ciceronem igitur non potuisse illis libris ad consolationem scribendam uti [4]). Tempus vero non adversatur, quod rectissime Schneiderus jam contendit. Ex alio enim epistolarum ad Atticum exemplo

1) cfr. Osann, Beiträge zur griech. und römischen Litteraturgeschichte. Tom. II. pag. 41. Not.

2) Tusc. I. 31, 77. cfr. ad Attic. II. 2. de offic. II. 5, 16.

3) ad Attic. XIII. 32.

4) Est enim haec ep. Maj. mense exeunte scripta. cfr. de Gruber, libr. laud. p. 26.

efficitur, Ciceronem, quamquam librum jam composuerat, tamen ad argumenta mutanda et amplificanda sciscitatum esse per literas, quae opus viderentur. Scribit enim ad Atticum (XII. 20): „Velim me facias certiorem proximis literis, Cn. Caepio, Serviliae Claudii pater, vivone patre suo naufragio perierit an mortuo. — Pertinent ad eum librum, quem „de luctu minuendo“ scripsimus.“ Si igitur consolatione jam scripta, ad mutandum argumentum Atticum rogat, eodem jure neque minori verisimilitudine conjicere possumus, eum ad opus amplificandum Dicaearchi libros postulasse, praesertim quum supra statuerimus, Ciceronem, quamvis consolationem jam Martio mense conscripserit, tamen et postea et paulatim adhibuisse conficiendi atque perpoliendi operis extremum laborem. —

Neque nobis a vero abhorrere videmur, si Schneideri auctoritatem (p. 12) sequuti contenderimus, in Ciceronianam consolationem etiam Hegesiae Cyrenaici praecepta vim aliquam exercuisse. Audiamus enim primum, quid de Hegesia Cicero ipse proferat Tusc, I, 34, 83: „A malis igitur, inquit, mors abducit, non a bonis, verum si quaerimus. Et quidem hoc a Cyrenaico Hegesia sic copiose est disputatum, ut a rege Ptolemaeo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere, quod multi his auditis mortem sibi consciverint.“ Quibus ex verbis recte conjicitur, Hegesiam de vita ejusque miseriis disputasse, ut nemini expedire contenderet vivere; quod etiam sequentia Ciceronis verba demonstrant, qui Hegesiam in libro *Ἀποκαρτερῶν* vitae humanae incommoda enumerasse dicit. Infra autem, ubi de consolationis argumento dicendum nobis

erit, videbimus, Ciceronem et ipsum mortem laudibus extulisse longeque eam praeferendam esse vitae putasse et confessum esse, mortem non solum non esse malum, sed potius bonum. Cujus rei ipse Cicero est auctor, qui: „fecimus, inquit, hoc in eo libro, in quo nosmet ipsos, quantum potuimus, consolati sumus“ (scil. ut deplorando efficeremus vitam miseriorem; [1]) quae verba eo magis pro opinione nostra loqui videntur, quod paulo ante sunt scripta, quam ea, quae de Hegesia dicuntur. —

Quod vero attinet ad Theophrastum, Peripateticae disciplinae addictum, cujus librum, qui *Καλλισθένης ἢ περὶ πένθους* inscribitur, Ciceronem in consolatione scribenda consuluisse Schneiderus (p. 11. sq.) contendit, locum libri Plutarchei (c. 6.) appellans, quo Theophrastus statim post Crantorem commemoratur, concedendum nobis est, Ciceronem saepissime in libris mentionem ejus fecisse scriptumque, de quo agitur, cognosse; et quamquam demonstrari non potest, ipsum consolationi librum illum adhibuisse, praesertim quum Theophrasti verba non alio modo afferre potuisset, quam ut ea refutaret: tamen, quum Theophrastus, quippe qui naturalem existimaret luctum, naturae vim non intulisset, sed se potius illi accommodasset amicumque, quem habuerat unicum maximeque dilexerat, deplorasset, haud multum a veri similitudine aberraturum me arbitror, si cum Schneidero contendero, Theophrastum pariter atque, ut jam vidimus, Dicaearchum haud minimam Ciceroni praebuisse ad consolationem materiam. — Quae res utcunque est, alii

1) Tusc. I. 34, 83. cfr. Lactant. instit. III. 19, 14.

quoque Peripateticae scholae philosophi de consolatione scripserunt, qui consolantis officium putarunt, ut non magnum malum esse mortem doceret, quique multa, ut Cicero refert, [1]) ad placandos animos attulerunt. Quinam fuerint illi Peripatetici, hodie jam ignoramus, quum scripta eorum non supersint neque nomina fere memorentur praeter Aristotelem, Peripateticae disciplinae principem, de quo infra agitur. Quocirca ut conjiciendo ne a vero nimis aberremus, his missis ad alium properemus. — Ante omnes in Clitomachum, Carneadis philosophi discípulum, incidimus, qui Carthaginiensis, quamquam non de morte consolationem scripserat, tamen ín libro, quem, Carthagine eversa, consolandi causa misit ad cives, non uni sectae addictus, sed in Academiae, Peripateticae, Stoicae scholae placitis versatus, [2]) omnia consolandi genera contulit. Quo de libro nihil jam licet conjicere, ut de re incerta; nos autem magnam fecisse jacturam in libro deperdito, Ciceronis docent verba, qui affirmat, tantam in eo calamitatum praesentium medicinam a philosopho esse adhibitam, quanta ne desideraretur quidem in inveterata. Cicero autem ipse nobis est auctor, sese Clitomachi librum legisse[3]).

Num vero Cicero consolationi epistolam Panaetii „de dolore patiendo“ ad Tuberonem missam adhibuerit, exploratum quidem nobis esse nequit, quamquam legisse

---

1) Tusc. IV. 5, 9. cfr. eod. III. 31, 76.

2) cfr. quae de Clitomacho philosopho et dialecticae scholae auctore dixit Lerschius in: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft. 1839. No. 21. sq.

3) Tusc. III. 22, 54. cfr. Acad. II. 45, 137.

ipsum eam ex Finn. IV., 9, 23 conjici potest. Quae quum ita sint, quum, Cicerone teste, Panaetius Crantoris libri mentionem fecerit nonnullaque inde desumpserit [1]), et, Gellio auctore, ceterorum Stoicorum *ἀναλγησίαν* et *ἀπάθειαν* improbarit ideoque usus fuerit humanioribus, quam reliqui ejusdem scholae, argumentis in consolando[2]): minime dubitamus, quin Cicero epistolam hanc libro de luctu scribendo adhibuerit. —

Hactenus fuit, quod caute a me scribi posset de iis philosophis, qui de luctu et dolore minuendo et perferendo libros ediderunt, quibusque Cicero uti potuit. Attamen ipsum eorum, qui sententias passim tantum fortuitoque dispositas aperuerunt, nullam habuisse rationem nego, quum, Socratis disciplinam, quam hic passim in hunc modum disseruit, eum adhibuisse, innumerabiles fere ostendant loci, qui in Tuscc. disputt. reperiuntur. Maxime autem, quantum animi mei conjectura colligere possum, respexit Platonem, quem non solum omnibus aliis philosophis anteposuit, sed etiam philosophorum deum appellare non dubitavit, quocum errare, quam cum aliis verum dicere rectumque sentire mavult. Notum est, Ciceronis libros plenos esse maximis Platonis laudibus, quam ob rem propter ipsam multitudinem atque frequentiam non

---

1) Acad. II. 44, 135. Quae supra dixi, ea ex Ciceronis verbis concludere non dubitavi.

2) cfr. A. Gell. noct. Attic. XII. 5, 10. (ed. Hertz): „Haec ergo vir sapiens tolerare et cunctari potest, non admittere omnino in sensum sui non potest: *ἀναλησία* enim atque *ἀπάθεια* non meo tantum, inquit, sed quorundam etiam ex eadem porticu prudentiorum hominum, sicuti judicio Panaetii, gravis atque docti viri improbata abjectaque est.“ — cfr. Cic. de finn. IV, 28, 79.

erit necesse, singulos afferre locos. Satis habeamus dixisse, Ciceronem potissimum ejusdem de animorum immortalitate sententiae fuisse cum Platone: quem, licet consolationis librum, qualem alii permulti philosophi, non scripserit, tamen constat in scriptis de nonnullis consolandi argumentis egisse eaque tam praeclare et copiose explicavisse, ut in hoc quoque loco aliis philosophis hac de re scribentibus veluti fons, ex quo consolandi rationes hauserint, recte dicendus sit. Et Ciceronem quoque nonnulla ad librum de luctu minuendo scribendum ex Platonis libris hausisse, jam non est opus, demonstremus, postquam hac de re satis, opinor, Heusdius scripsit [1]). — Neque veremur, ne audaciae accusemur in conjectando nimiae, Aristotelis librum, quem inscripserat *Εὔδημον ἢ περὶ ψυχῆς*, sequutum esse Ciceronem atque ex ejus rivulis hortulum suum irrigasse, asseverantes. Legimus enim in Tuscull. disputt. (I. 26) ipsius Ciceronis testimonium, sese Aristotelis sententiam esse sequutum eamque in consolationis libro expressisse; quod exprimendi verbum nihil aliud significare videtur, quam Ciceronem Aristotelis sententiam suis ipsius verbis in latinam vertisse linguam [2]). Praeterea apud Plutarchum Aristotelici libri fragmentum ejusque de Sileno fabula commemoratur (c. 27), quam Cicero et in Tuscull. disputt. servavit et in consolatione, ut infra videbimus, attulit. Accedit, quod Cicero (de divin. 1. 25) narrationem affert de Eudemo, quam interpretes paene omnes fuisse in hoc Aristotelis

1) cfr. van Heusde, Cicero *φιλοπλάτων*, pag. 248. sqq.

2) cfr. Cic. disp. Tusc. kritisch berichtiget und erläutert von Klotz. Leipz. 1835. pag. 86. Not.

dialogo putant, unde jam, si verum esset, conjici posset, Ciceronem hunc librum legisse; qui tamen fere totus interiit cujusque, licet inferior fuisse Platonicis dialogis dicatur, jactura dicenda est maxima, quum summam Aristotelicae sententiae de animorum post mortem conditione explicaverit [1]). —

Addere placet hisce Ciceronis fontibus Xenocratem, qui Platonis discipulus atque Academiae successor a magistri sententia haud multum recessisse videtur, et qui librum περὶ θανάτου scripsisse fertur [2]), quem scimus adeo periisse, ut ne ullum quidem fragmentum ad nostra pervenerit tempora, quam ob rem prorsus est incertum, quibus consolandi argumentis sit usus. Fuerunt, qui contenderent, Xenocratem illum scripsisse dialogum, quem supra memoravimus, Axiochum, quorum tamen sententiam prorsus vanam esse jam ostenderunt viri docti [3]). Quem Xenocratis de morte librum si cognovit Cicero, (et equidem non dubito), legisse eum quoque et adhibuisse ex eo conjici potest, quod Xenocratis mentionem fecit creberrimam omnibus in libris maximeque in Tusculanis. —

Rem itaque eo deduxi, ut, quales maxime fontes Cicero adhibuerit philosophos, jam nunc videamus. Fuit

---

1) Minime recte cogitasse mihi videtur Heusdius, qui in disquisitione de philosophiae Ciceronianae fonte praecipuo (p. 249), postquam consolationis fragmentum in Tuscc. disputt. (I. 27, 66.) servatum attulit, haec subdit: „Admixta, fateor, huic sententiae Aristotelea ratio est. Veruntamen, si fontem quaerimus, unde ducta sit, reperiemus eum in eximia Socratis, quae est in Phaedone, de animi natura ac divina indole disputatione.“ Testimonium enim ipsius Ciceronis, ut dixi, obstat.

2) cfr. Diog. Laërt. IV. 2, 9. (vol. I. p. 268. Hübn.)

3) cfr. Heusde, diatribe p. 33. sq.

autem Ciceronis consuetudo, ut, Philonis praeceptoris auctoritatem sequutus, versus lectaque poëmata suis disputationum locis insereret atque subjiceret, ut orationem versibus exquisitis faceret nitidiorem et dictis argumentisque vim et auctoritatem conciliaret majorem. Qua de re Cicero ipse scribit haec: „Philo et proprium numerum et lecta poëmata et loco adjungebat. Itaque postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem, studiose equidem utor nostris poëtis: sed sicubi illi defecerunt, verti ipse multa de Graecis, ne quo ornamento in hoc genere disputationis careret latina oratio [1].“ Quod quum aliis in scriptis facere soleret, non longius a vero abhorrere nos puto, Ciceronem versus quoque consolationi inseruisse contendentes, praesertim quum ex Tuscc. disputt. libris et Plutarchea consolatione, in quibus fere iidem reperiuntur poëtarum loci, conjicere liceat, Crantorem jam ipsum in libro suo poetarum carmina ascripsisse. Huc accedit, ut Diogenes Laërt. testis sit nobis et auctor, Crantorem poëtarum lectione valde fuisse delectatum. Sed praestat, ejus verba afferre: „*Ἐθαύμαζε δὲ ὁ Κράντωρ*, inquit, *πάντων δὴ μᾶλλον Ὅμηρον καὶ Εὐριπίδην, λέγων ἐργῶδες ἐν τῷ κυρίῳ τραγικῶς ἅμα καὶ συμπαθῶς γράψαι* [2].“ — Qui vero poëtae Ciceroni, Crantoris auctoritatem sequuto, maxime praebere potuerint argumenta, si quaerimus: mihi quidem persuasissimum

---

1) Tusc. II. 11, 26., quibus de Ciceronis verbis vid. Klotzii librum, qui inscribitur: Nachträge und Berichtigungen zu Cicero's disputt. Tuscc. Leipzig 1843. p. 79. sq., cujus sententiam non repudio.

2) Diog. Laërt. IV. 5, 6. (p. 279.)

est, Homerum et Euripidem fuisse. De Homero, quem saepissime citat Cicero, jam non erunt plura nobis dicenda, neque multa de Euripide; aliquot enim versus fabulae Euripideae, quae inscripta erat Cresphontis nomine, in Tusculanis vertit Cicero eosdemque praebet Plutarchus, quam ob rem sumere non dubito, eos in consolatione nostra fuisse, quippe quos jam Crantor libro suo adhibuerit. —

Postquam jam omnes, ex quibus hauserit Cicero, philosophorum poëtarumque graecorum fontes perlustravimus, reliquum est, ut videamus, num a Romanis quoque ejusdem argumenti quidquam, quo Ciceroni uti licuerit, scriptum fuerit. Neque deest. Ne dicam de omnibus laudationibus funebribus, quibus uti potuit Cicero, de una tantum plura loquar, Schneiderum praeceptorem sequutus. Q. enim Fabius Maximus Verrucossus ad luctum leniendum animumque confirmandum, et ut demonstraret, sese luctu superiorem esse, in mortem filii consularis laudationem scripsit [1]). Cicero hac de laudatione et de constantia, qua Fabius dolorem pertulit: „Multa, inquit, in eo viro praeclara cognovi, sed nihil est admirabilius, quam quo modo ille mortem filii tulit, clari viri et consularis. Est in manibus laudatio; quam quum legimus, quem philosophum non contemnimus?“ [2]) Alibi quoque Fabium laudavit, quia viriliter magnam illam calamitatem tolerasset [3]). Accedit, quod Cicero ipse fatetur, sese Fabii exemplum

1) cfr. Plutarch. vit. Fab. cap. 24: *τὸ δὲ ἐγκώμιον, ὃ ταῖς ἐκκομιδαῖς τῶν ἐπιφανῶν οἱ προσήκοντες ἐπιτελοῦσιν, αὐτὸς εἶπε καταστὰς ἐν ἀγορᾷ, καὶ γράψας τὸν λόγον ἐξέδωκεν.*

2) Cat. maj. c. IV. §. 12.

3) cfr. de nat. deorum III. 32, 80. ad famil. IV. 6.

consolationi adhibuisse. Quae quum ita sint, quumque Ciceronem laudationem illam legisse sciamus, non puto me nimiae audaciae argutum iri, cum Schneidero contendentem, Fabii quoque laudatione usum esse Ciceronem quantum potuerit [1]). Sed dixerit fortasse quispiam, dialogum de senectute, consolatione jam confecta, esse scriptum, et ita Ciceronem, si tunc demum Fabii liber in manibus fuerit, non potuisse adhibere eum consolationi. Quam dubitationem ut refellerem, jam non studui, quoniam refutando opus non est; liceat tamen ad Julii Sommerbrodtii editionem Catonis majoris delegare, qui de tempore, quo liber de senectute sit compositus, in praefat. (p. VII.) disputavit, unde apparet, non multo post consolationem hunc dialogum esse scriptum. —

Hi fere omnes fuerint scriptores et libri, quorum rationes imprimis cognoscere Ciceronis interfuit. At omnes hos fontes quamvis diligenter pervestigaverit et penitus exhauserit, nihil tamen praeter materiam inde sumpsisse videtur, cui tractandae suum judicium ita interposuerit, ut consolationis liber propriam quandam formam induerit. — Cui de consolationis fontibus quaestioni, quum nihil, quod addam, restet, tertium nunc annectatur caput, quod minus est involutum atque implicatum. —

Caput III.

Quale fuit consolationis argumentum?

Priusquam autem ad ipsam rem argumentumque libri explicandum accedo, liceat pauca commemorare et frag-

1) Verba interposui „quantum potuerit“, recte, ut puto; nemo enim negabit, aliud esse consolationis, aliud laudationis proprium argumentum.

menta tum demum suis locis persequi, quum praefatus fuero, quae arbitror ad rem nostram maxime pertinere. Hausi enim consolationis argumenti maximam partem ex Tusculanis, in quibus Ciceronem permulta, quae locum habuissent in libro de luctu minuendo, repetivisse, jam Wolfius rectissime pronuntiavit; quibuscum contuli Plutarchi consolationem, eaque desumpsi, quae utrique sunt communia. Accedunt praeterea nonnulla fragmenta, a Lactantio aliisque ecclesiae doctoribus servata. Attamen omne cautionis genus, ne disputatio nostra in mera somnia abeat, adhibendum est, quum et in Tusculanis et in Lactantii aliorumque scriptis multa deprehendantur, quae possint in consolatione fuisse, quae tamen re vera ibi fuisse statuere nequeamus, quum testimonia nobis desint, conjecturis autem facile rapiamur in errores. Tum quoque Cicero, quamquam idem fere argumentum in consolatione persequutus est atque in Tuscull. disputt. non exigua parte, alium tamen locum in ea, alium in Tusculanis saepe assignavisse mihi videtur, ne lectoribus eandem rem eadem prorsus ratione tractatam animadvertentibus taedium afferret. Neque minus ad id animum intendamus oportet, eum in consolatione multa paucis tantum dixisse verbis, quae in Tusculanis postea scriptis pluribus disputavit. Quibus praemissis nunc ad propositum regrediamur. —

Cicero ipse summae libri sententiarumque ordinis auctor est. „Erit igitur, inquit, in consolationibus prima medicina, docere, aut nullum malum esse aut admodum parvum: altera, et de communi conditione vitae et proprie, si quid sit de ipsius, qui maereat, disputandum; tertia,

summam esse stultitiam, frustra confici maerore, quum intelligas, nihil posse profici;“ [1]) et idem testis est, consolationem non fuisse perbrevem: „Sunt etiam, inquit, qui haec omnia genera consolandi colligant, (alius enim alio modo movetur), ut fere nos in „consolatione“ omnia in consolationem unam conjecimus; erat enim in tumore animus, et omnis in eo tentabatur curatio.“ [2]) — Qui autem, hominis sibi carissimi morte in sordibus luctuque jacens, omnes circumspicit rationes, quibus se consolari possit: prima dolorum solatia inveniet ea, quae omnibus hominibus prodesse, quibus omnes uti possunt; sed aliorum dolores alia ratione sanandos esse nemo negabit. Ut enim medicus est irridendus, si omnibus aegrotis uno alterove remedio medeatur: sic etiam philosophus videtur esse explodendus, si omnibus aegris easdem medicinas afferat. Nam ut hominum indoles varia esse solet, neque minus luctus natura, sic quoque alia atque diversa ratione singulis adhibenda est medicina. [3]) Quae quum ita sint, commune est philosophorum praeceptum, ut, qui calamitatem quandam accidisse sibi lugeat, is ad leniendos sedandosqne dolores ratione utatur, quod velut principium est et fundamentum. —

Viri autem cogitantis atque sani semper fuit, in effectibus quaerere causas, unde emanarent, ut haberet rectum aliquod effectuum judicium. Quam rationem in

---

1) Tusc. III. 32, 77.

2) Tusc. III. 31, 76. Sic Ciceronis verba adscripsi, quamquam persuasum mihi est, verba „in consolatione“ nihil aliud esse quam annotationem, a lectore quodum in margine scriptam, quae postea in textum irrepsit.

3) cfr. Tusc. III. 33, 79.

dolore de hominis cujusdam morte quisque persequi, itaque ante omnia de mortis natura utpote doloris causae inquirere debet, utrum mors sit malum vel afferat aliquid mali, necne. Nam ut medici, (liceat mihi, quum jam supra eandem adhibuerim similitudinem, ea rursus uti), qui morbi causam invenerunt, corporis curationem esse repertam putant: sic ii, qui, luctu laborantes, ex eo emergere se velint, ejus originem satis habeant cognitam necesse est; et ut saepissime inveniuntur aegroti, qui ea de re, qua anguntur, falsam ferunt sententiam, quam ob rem perperam curant aegritudinem, vel etiam, postquam curandi rationem non esse rectam cognoverunt, omnem abjiciunt salutis spem: sic quoque res se habet cum dolore, quem nihil aliud esse statuo, quam mentis imbecillitatem atque errorem, qua imbecillitate sublata maeror ipse erit sublatus. Hanc rationem sequutum Ciceronem composuisse consolationem librique initium fecisse a mortis cognitione, utrum sit bonum an malum, jam eo apparet, quod in Tusculanís quoque disputationem orsus est a refutatione verborum auditoris, qui mortem malum sibi videri esse dixerat; [1]) atque ex verbis supra allatis conjici potest, Ciceronem primum studuisse, ut ostenderet, non esse malum mortem, quippe quae ratio prima esset maerentis medicina. Ut autem demonstraret, mortem non esse malum, neque mortuis, neque iis, quibus moriendum esset, diversas philosophorum sententias explicare debebat, ut videret, quid esset mors. Quas sententias Cicero ipse composuit in Tuscull. disputt. [2]) — Maxime autem

1) Tusc. I. 5, 9.
2) Tusc. I. 9, 18.

ipsi afferenda erant placita eorum, qui animum simul cum corpore interire contenderunt, Epicuri et Dicaearchi; et sane attulit, quod eo magis pro certo haberi velim, quum, qui primis tantum labris gustavit Ciceronis literas, jam eo perveniat, ut videat, Ciceronem in enumerandis philosophorum de morte ejusque eventu sententiis tantum abfuisse, ut eas solas, quibus ad librum scribendum potuerit uti, adhibuerit, ut disputationis seriem saepissime interruperit locis ejusmodi subjectis, quae admonitiones esse videantur, quibus sententias falsas, itaque cavendas praemonuerit. [1]) Et quod majus est, sententias atque placita eorum attulit, quia, quamquam velut in Tusculanis animi immortalitatem omnibus veterum sapientium argumentis docuit, tamen ad liquidum confessumque perducere non potuit; ipse enim fatetur, nihil hac de re pro certo haberi posse: „quoniam utraque, inquit, earum sententiarum doctissimos habuit auctores; nec quid certi sit, divinari potest.“ [2]) —

Quibus philosophorum placitis allatis, nihil aliud agere potuit, quam ut ostenderet, etiamsi hominis interitus ex corpore et animo statueretur, nullam esse majorem causam, cur de morte deplorarent homines, quam si animi essent sempiterni; nam etsi quis eorum, qui animi dissolutionem et dissipationem statuerent, sententiam probaret, tamen non esse querendi causam quum omnia simul cum interitu

1) cfr. Crome pag. 3. sq.

2) Hoc a Lactantio (institt. VII. 8, 9.) nobis servatum fragmentum, quod ut ex incerto quodám Ciceronis libro desumptum, in editione Klotzii (P. IV. vol. III. p. 347.) legitur, in consolatione fuisse suspicor, quippe quum et in Tusculanis similis sententia inveniatur (I. 11. 23) et maxime in hunc locum cadere videatur.

finirentur et cum vita sensus amitteretur. [1]) Mortem igitur summam quietem allaturam, quae ne somniis quidem cruciaretur atque turbaretur, neque boni quidquam neque mali nobis contingere, quum in morte pariter atque in simulacro non esset sensus. [2]) Sin vero morte animus non exstingueretur, sed, corpore relicto, permaneret, si mors, ex Socratis sententia, migratio esset in illas oras, quas incolerent, qui e vita excessissent; non solum eam non esse dicendam malum, sed bonum potius, quum nos, vinculis, quibus animus corpore contineretur, liberati, non amplius perturbaremur corporis libidinibus neque animus a vero perscrutando et cognoscendo detineretur. [3]) Quamcunque igitur sententiam sequeretur quisquam, minime malum, sed bonum esse videri mortem. Quam vero sententiam Cicero ipse probaret, demonstrandum erat. Qui non ignarus est philosophiae Ciceronianae, facile concedet, totam Epicuri ejusque asseclarum doctrinam eum ita condemnasse, ut, qui eam sequerentur, si sibi consentire vellent, de honestate ne posse quidem praecipere statueret [4]), et in consolationis libro Platonis Aristotelisque de animi immortalitate sententiae fuisse. Quam quidem rem maxime libri nostri fragmentum demonstrat, quod Cicero nobis, si quis usus venerit, satis longum servavit; scribit enim, postquam animum divinum esse et ejusdem, ut ita dicam, substantiae cum diis, ex Aristotelis sententia

---

1) cfr. Tusc. I. 11, 24. 34, 82. Plut. cons. c. 15.

2) Tusc. I. 49, 117: „sin autem perimit ac delet omnino, quid melius quam in mediis vitae laboribus obdormiscere et ita conniventem somno consopiri sempiterno?“ cfr. Plut. c. 12 et 15.

3) cfr. Tusc. I. 31. Plut. c. 13.

4) de offic. I. 2, 5.

demonstravit, haec: „Hanc nos sententiam sequuti his ipsis verbis in „consolatione“ hoc expressimus [1]): Animorum nulla in terris origo inveniri potest; nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur, nihil ne aut humidum quidem, aut flabile aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat, et futura provideat, et complecti possit praesentia: quae sola divina sunt, nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possint, nisi a deo. Singularis natura est igitur quaedam atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod viget, caeleste et divinum ob eamque rem aeternum sit, necesse est. Nec vero deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens ipsaque praedita motu sempiterno [2]).“ —

Quod quum Ciceroni persuasum esset, quaerendum erat, ubi animus post mortem versaretur qualemque vitam viveret. Credidit autem Cicero, mortuos alteram degere vitam, sed non eadem sorte gaudere omnes; putavit, sceleribus, dum in terris sunt, contaminatos, illic poenas esse soluturos; bonos vero, qui a delictis liberi cupiditatumque expertes fuerint, mortuos operae pretium assequuturos atque a vitae laboribus quietem capturos. Servata sunt nobis ipsius Ciceronis hac de opinione verba,

---

1) cfr. pag. 34.

2) Tusc. I. 26, 65. 27, 26. Lact. de ira dei c. X. §. 45. seq. institt. I. 5, 25.

ex consolatione desumpta, quae apud Lactantium (institt. III., 19, 6. sq.) inveniuntur, quibusque docet, non easdem sedes incolere justos et impios. „Nec enim omnibus, inquit, iidem illi sapientes arbitrati sunt eundem cursum in caelum patere. Nam vitiis et sceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in coeno jacere docuerunt; castos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atque artibus expolitos, levi quodam et facili lapsu ad deos, id est, ad naturam sui similem pervolare.“ — Quae postquam dixit Cicero atque eo pervenit, ut ex sapientium virorum placitis duplicem animorum post corporis mortem cursum statueret, quorum alter ad poenas solvendas, alter ad deorum habitaculum perduceret: facile, quum, qui de civitate tota aut de singulis meriti essent, eorum memoriam deorum immortalium honoribus esse consecrandam putaret [1]), ejus sententia eo potuit inclinare, ut deos nihil aliud esse crederet, nisi homines mortuos, qui communi consuetudine, fama, voluntate in caelum tollerentur. Neque est dubium, quin haec cogitatio nihil non habuerit consolationis, quum scierit Cicero, Tulliam quoque, quae ipsum, quoad vixerat, peramaverat et de ipso maxime merita et integra castaque illuc, ex his vinculis emissa, erat lata, in deorum numerum esse receptam. Cujus sententiae Ciceronem re vera fuisse, ingens testatur multitudo epistolarum ad Atticum scriptarum, in quibus sermo est de fano Tulliae exstruendo; testantur idem consolationis verba a Lactantio servata, quae simul cum ejus verbis introducentibus af-

1) de nat. deor. III. 19, 50.

ferre atque adscribere praestat. „M. Tullius, inquit, qui non tantum perfectus orator, sed etiam philosophus fuit, si quidem solus exstitit Platonis imitator, in eo libro, quo se ipsum de morte filiae consolatus est, non dubitavit dicere, deos, qui publice colerentur, homines fuisse. Quod ipsius testimonium eo debet gravissimum judicari, quod et augurale habuit sacerdotium, et eosdem se colere venerarique testatur. Itaque intra paucos versiculos duas res nobis dedit. Nam, dum imaginem filiae eodem se modo consecraturum esse profiteretur, quo illi a veteribus sint consecrati, et illos mortuos esse docuit, et originem vanae superstitionis ostendit. „Quum vero, inquit, et mares et feminas complures ex hominibus in deorum numero esse videamus, et eorum in urbibus atque agris augustissima delubra veneremur: adsentiamur eorum sapientiae, quorum ingeniis et inventis omnem vitam legibus et institutis excultam constitutamque habemus. Quod si ullum unquam animal consecrandum fuit, illud profecto fuit. Si Cadmi progenies, aut Amphitryonis aut Tyndari in caelum tollenda fama fuit: huic idem honos certe dicandus est; quod quidem faciam, teque omnium optimam, doctissimamque, adprobantibus diis immortalibus ipsis, in eorum coetu locatam ad opinionem omnium mortalium consecrabo [1].“ — Quae postquam dixit atque ita ostendit, mortem meliorem sequi vivendi conditionem, tantum aberat, ut hunc unum attingeret locum et vitam inferiorem esse morte demonstraret, ut omnes vitae labores calamitatesque conquireret, atque ex iis, quanto magis

1) Lactant. inst. I. 15, 16—21. cfr. Petrarcha, de ocio relig. lib. II. p. 320. (edit. Basiil.)

mors esset vitae praeferenda, efficere conaretur. Communis enim antiquorum de vita humana fuit sententia, eam ita esse plenam miseriarum atque calamitatum, ut, tam bonorum, quam malorum, quae in vita homini cuique acciderent, enumeratione facta, mala bonis longe essent superiora, quam ob rem maximo jure beati praedicarentur defuncti, quippe qui his vitae malis essent erepti; quo iterum iterumque factum est, ut maerentes vitam suam in odio haberent [1]). Cujus omnium antiquorum sententiae Ciceronem eumque multum fuisse in lamentandis vitae miseriis, testimoniis ostenditur. Audiamus enim Ciceronis verba, quibus ipse confitetur, sese vitam deplorando effecisse miseriorem. „Satis tu quidem", de se ipso ait, „in consolatione es lamentatus: quam quum lego, nihil malo, quam has res relinquere [2]).“ Idem demonstrant S. Augustini verba, qui Ciceronem vitam vehementer deplorasse auctor est hisce: „Quis enim sufficit, quantovis eloquentiae flumine vitae hujus miserias explicare? quam lamentatus est Cicero in consolatione de morte filiae, sicut potuit: sed quantum est quod potuit [3])?“ Quantum autem Cicero eo tempore vitam contempserit et pro nihilo duxerit, ita ut eam non solum posthabuerit eamque inferiorem esse morte professus sit, sed etiam longius progressus contenderit, huic animorum vitae aliam eamque beatiorem in caelo antecessisse et praesentem ante-

---

1) Maxime id quidem ex Hegesiae exemplo videri potest, qui, quum fuse atque copiose de vitae malis dixisset, tantum ejus odium injecit audientibus, ut sibi sponte manus inferrent. cfr. Tusc. I. 34, 83.

2) Tusc. I. 31, 76. cfr. eod. I. 34, 83.

3) de civit. dei XIX. 4.

acta deteriorem et quasi poenae instar habendam esse, luendorum scelerum causa nobis traditam, quum animi in corporibus tanquam in carceribus essent inclusi: testis est Lactantius, qui scribit, Ciceronem in consolatione dixisse, luendorum scelerum causa nasci homines, eandemque sententiam paulo post iterasse [1]). Hinc natam esse ineptam illam sententiam, cum Lactantio dicere possumus, hanc esse mortem, quam nos vitam putemus, illam vitam, quam nos pro morte timeamus: ita primum bonum esse non nasci, secundum citius mori. Talis autem sententia, quae vitam esse mortem, hanc contra veram vitam putavit, quae contendit, beatos solos esse praedicandos vita hac defunctos, quippe qui essent facti participes melioris et divinae naturae, Ciceroni maxime conduxit et probata est eo tempore, quo consolationis liber est conscriptus; ipse enim confitetur, fuisse animum in tumore, et omnem sese tentasse curationem. Neque abhorret fragmentum, quod legimus apud Lactantium ex consolatione sumptum: „Non nasci longe optimum, nec in hos scopulos incidere vitae: proximum autem, si natus sis, quam primum tanquam ex incendio effugere fortunae [2]).“ — Quam sententiam ut demonstraret, in consolatione locum habuisse illam de Sileno fabellam, jam

---

1) Lact. inst. III. 18, 18: „Quid Ciceroni faciemus? qui quum in principio consolationis suae dixisset, luendorum scelerum causa nasci homines; iteravit id ipsum postea, quasi objurgans eum, qui vitam poenam non esse putet“.

2) Sic equidem hunc consolationis locum (institt. III. 19, 14.) legendum esse puto, vetustissimos Lactantii libros sequutus. cfr. Cic. opp. ed. Schütz. Tom. XVI. P. II. pag. 301. Petrarch. epistt. rerum senilium lib. I. p. 742. ed. Basil. 1581.

plurimi viri docti sunt suspicati, idemque ex Lactantio conjici potest, qui Ciceronis verbis modo laudatis praemittit haec: „Quae (sententia) ut majoris sit auctoritatis, Sileno adtribuitur [1]).“ — Quae si ita fuerint, non est, quod dubitemus, quin Cicero hac in consolationis parte diutius institerit multusque fuerit in variis proponendis exemplis, quibus sententiam confirmare potuerit. Et non sapientium virorum placita solum, sed etiam talia allegavit exempla, ex quibus appareret, diis ipsis videri mortem summam esse bonum; quod ut credamus, eo magis adducimur, quod Lactantius: „credidisse, inquit, Ciceronem vanissimo (illi) dicto exinde apparet, quod adjecit aliquid de suo, ut ornaret [2]).“ — Quam ob rem haud perperam judicavit Schneiderus, Ciceronem in consolationis libro Cleobis Bitonisque, Trophonii Agamedisque exemplis usum esse contendens (p. 22 et 30), praesertim quum ex eorum commemoratione a Plutarcho facta appareat, jam Crantorem eadem allegasse [3]). Accedit, quod graeci philosophi, quo magis mortem defunctis malum non esse probarent maerentibus, afferre solebant has narrationes, unde deos ipsos aperte hominibus ostendisse, mortem non esse habendam in malis, quum eam tanquam virtutis praemium quibusdam erga sese maxime meritis concessissent, colligebant. — Neque minus non dubito, quin illa de Terinaeo Elysio quodam fabula in consolatione locum habuerit, quum in Crantoris etiam de luctu libro

---

1) cfr. Tusc. I. 48, 114. Plutarch. cons. c. 27.

2) Lact. inst. III. 19, 14.

3) cfr. Tnsc. I. 47, 113. sq. Plutarch. c. 14. v. Heusde, diatribe pag. 48.

eam fuisse Cicero ipse sit auctor. Qui Terinaeus Elysius, quum filii mortem graviter maerens in psychomantium venisset et quaereret, quae fuisset tantae calamitatis causa, in tabulis tres accepit hujus modi versiculos:

„Ignaris homines in vita mentibus errant;
Euthynous potitur, fatorum numine, leto.
Sic fuit utilius finiri ipsique tibique.“ [1])

Quae postquam Cicero pertractavit, jam suffecit operi, ut ostenderet, mortem, non esse malum, quam rationem Cleanthes unum consolantis officium esse putavit: si quidem hac re fuisset contentus. Ipse autem sese eos esse imitatum dixit, qui, quum alius alio modo moveretur, omnia consolandi genera collegissent. Quae quum ita sint, Ciceroni non negligenda fuit contraria hominum agendi ratio, qui de morte deplorarent atque ita philosophiae doctrinas, quae neque esse malum mortem, neque ob eam in maerore esse licere, ostenderent, irritas facerent. Accuratius autem eum cognosse discrepantiam doctrinae rerumque, quas philosophia praebet, et actionis omnisque hominum vitae, eamque breviter perstrinxisse, demonstrare mihi videtur consolationis fragmentum apud Lactantium, qui, postquam Ciceronem vituperavit, quod ipsi philosophia non fuisset vitae magistra, haec addit verba, quae vituperationem esse veram atque justam ostenderent: „Idem in consolatione, id est, in opere non joculari, hanc de philosophia sententiam tulisti: „Sed nescio, qui nos teneat error aut miserabilis ignoratio veri[2]),“

---

1) Tusc. I. 48, 115. cfr. Plut. c. 14.
2) Lact. institt. III. 14, 20.

(scil. quum contra philosophorum placita de morte conqueremur.) Sed nunc jam ad alteram partem, quam Cicero attigit, transgrediamur. Erit autem, ut ipsius sententiam nostris reddamus verbis, altera medicina, et de communi conditione vitae, et proprie, si quid sit de ipsius, qui maereat, disputandum, quaerere atque ostendere, et antea et nunc sexcentos alios iisdem calamitatibus esse afflictos, talemque semper fuisse et fore humanae vitae conditionem, et nos quoque inique ferre res nostras desinamus oportere, malorum quandam cum nostra natura esse conjunctam necessitatem, quam repellere non possimus. — Negavit quidem Cicero hanc consolandi rationem semper esse idoneam; nam: „ne illa quidem, inquit, firmissima consolatio est, quamquam et usitata est et saepe prodest: „Non tibi hoc soli.“ Prodest haec quidem, ut dixi, sed nec semper nec omnibus:“ [1]) — attamen eam adhibuit, quum consolatus est amicum in morte liberorum admodum dolentem [2]), atque in consolatione recepit. Ipse enim est auctor, hanc rationem referre, quomodo adhibeatur, eamque esse adhibendam, ut ostendatur, non qualis calamitas cuique acciderit, sed quo modo quisque malo afflictus calamitatem pertulerit [3]), et enumerationem exemplorum afferri, non ut malevolorum animum oblectet, sed ut ille, qui maereat, ferendum sibi id censeat, quod multos videat moderate atque tranquille tulisse, eamque esse utilem ad persuadendum ea, quae accidant, ferri et posse et oportere [4]). Quae quum ita sint, non neglexit

---

1) Tusc. III. 33, 79. — 2) cfr. ad famil. V. 16, 2. — 3) Tusc. III. 33, 79. — 4) Tusc. III. 25, 60.

hanc rationem consolandi, quacum maxime congruunt Euripidis versus, qui in Cresphonte fuerunt et in Plutarchi quoque libro (c. 15) leguntur, quam ob rem, eos in Ciceroniana consolatione fuisse, si cum Schneidero contendero, haud multum a certo aberrasse mihi videor. Sunt autem hi:

Τεθνᾶσι παῖδες οὐκ ἐμοὶ μόνῃ βροτῶν,
οὐδ' ἀνδρὸς ἐστερήμεθ', ἀλλὰ μυρίαι
τὸν αὐτὸν ἐξήντλησαν, ὡς ἐγώ, βίον.

Quae opinio non videtur commenticia, quum Cicero alios Cresphontis tragoediae locos in Tuscull. disputt. transtulerit [1]). Accedit, quod, in aliis quoque libris Ciceronem locos tum a Graecorum, tum a Romanorum poëtis desumptos magno numero adjunxisse et alienas disputationes, vel etiam fabulas interposuisse, sententiasque minus argumentis, quam exemplis undique petitis probasse, diximus. Quae exempla et quo ordine ea proposuerit nostro in libro, nullo modo judicare possumus; summo tamen jure statuere licet, ipsum, ut omnino proximum quodque et fontibus oblatum accepit, et saepissime id solum in linguam vernaculam vertit, salutemque suam expedivit excusatione: „Nostrum enumerare longum est“: sic in hunc quoque consolationis librum primos recepisse Graecos, tum demum Romanos, quibus fuit mors optabilis neque malum. Quod autem dixi, nos nescire, quae exempla adhibuerit in consolatione, id quidem pertinet ad ea ex historia graeca sumpta, quum, quae fortasse allegarit, nullam habeamus auctoritatem, itaque probabili quodam

1) cfr. Tusc. I. 48, 115.

modo certa consequi non possimus, quam ob causam, ne somnia fingamus et pro veris falsa accipiamus, res in medio relinquenda est, quamquam non veremur, ne modum excedamus, si, quae maxime philosophi laudare atque imitanda proponere solebant, exempla eorum, qui fortiter easdem tulerant calamitates, afferre conati fuerimus, velut Anaxagorae, Periclis, Xenophontis aliorumque, qui gravissimis afflicti malis dolorem ipsum oppresserunt et ob firmitatem constantiamque laudantur [1]). — Majorem autem fuisse exemplorum numerum ex historia romana sumptorum, ex ipsis Ciceronis verbis colligi potest, qui in libro de divinat. (II. 9, 22): „Clarissimorum hominum nostrae civitatis, inquit, gravissimos exitus in „consolatione“ collegimus.“ Qui vero fuerint viri, quos in libro nostro laudavit quorumque exempla proposuit imitanda, hac de re certiores nos facit aliqua ex parte Hieronymus, qui in „epitaphio Nepotiani“ scribit haec: „Quid memorem Romanos duces, quorum virtutibus quasi quibusdam stellis latinae micant historiae? Pulvillus capitolium dedicans mortuum, ut nuntiabatur, subito filium se jussit absente sepeliri. L. Paullus septem diebus inter duorum exsequias filiorum triumphans urbem ingressus est. Praetermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scaevolas, Metellos, Scauros, Marcios [2]), Crassos, Marcellos atque

---

1) cfr. Hieronym. epitaph. Nepot. c. 5: „Proponunt innumerabiles viros, et maxime Periclem et Xenophontem Socraticum etc.“; quae verba, jam Crantorem hisce usum esse exemplis, demonstrare, quis est qui neget?

2) Sic equidem pro librorum lectione „Marios“ legi mallem, neque dubitavi, hanc conjecturam, quae jam antea nonnullis viris doctis in mentem venit, in textum recipere, ita ut hoc loco Q.

Aufidios, quorum non minor in luctu, quam in bellis virtus fuit, et quorum orbitates in consolationis libro Tullius explicavit [1])". — Praeterea autem aliunde etiam, quorundam modo nominatorum virorum in consolatione fuisse commemorationem, non ignoramus [2]). Neque minus alios cognoscimus ex epistolis ad Atticum datis. Scribit enim Cicero: „Velim me facias certiorem proximis literis, Cn. Caepio, Serviliae Claudii pater, vivone patre suo naufragio perierit an mortuo. Pertinent ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus [3]).“ — Quae quum ita sint, ad consolationem quoque referenda esse puto, quae alibi ad eundem scribit: „Velim me certiorem facias, P. Crassus, Venulejae filius, vivone P. Crasso consulari, patre suo, mortuus sit, ut ego meminisse videor, an post. Item quaero de Regillo, Lepidi filio, rectene meminerim patre vivo mortuum [4]).“ — Quibus in exemplis colligendis id egit Cicero, ut demonstraret, dolorem non esse sapientis, doctosque viros maxime decere, moderate ferre res humanas, neque unquam maerori succumbere, praesertim si quis totum se literis abdere noluisset, sed eas ipsas ad vitam referre consuevisset. Qua de re ipse sic: „Inter omnes igitur, inquit, hoc constat nec doctos homines solum, sed etiam indoctos, virorum esse fortium et magnanimorum et patientium et humana vincentium toleranter dolorem pati; nec vero quisquam fuit, qui eum,

---

Marcius Rex diceretur, qui, quum in consulatu unicum filium eumque maximae spei juvenem morte amisisset, statim ab ejus rogo senatum in curiam convocari jussit.

1) Hieron. opp. Tom. I. P. 1. pag. 335. (ed. Dominic. Vallars.-Venet. 1766). — 2) Tusc. III. 28, 70. — 3) ad Attic. XII. 20, 2. — 4) ad Attic. XII. 24, 2.

qui ita pateretur, non laudandum putaret. Quod ergo et postulatur a fortibus, et laudatur, quum fit, id aut extimescere veniens aut non ferre praesens, nonne turpe est [1])?“ Quin etiam ipse fatetur, sese non decere, dolorem non pati [2]). — Ut autem doceret, dolorem esse viro indignum, nihil tam aptum fuit, quam exempla mulierum, quae carissimorum liberorum mortem maxima cum animi firmitate tulerunt; si enim jam mulieres putaverunt, minuere suam dignitatem dolori indulgentes, quid opus fuit multis verbis, dignitatis atque gravitatis immemores esse viros, qui doloribus parerent? Neque Cicero praetermisit talia mulierum exempla, ut jam eo apparet, quod in Tusculanis similiter ea proposuit; accedit, ut per epistolam ad Atticum scriptam de Rutilia sciscitatus sit (XII. 22.) Sed non unicum fuit Rutiliae exemplum; apparet enim iisdem ex verbis, Clodiae quoque, Bruti matris, mentionem in consolatione fecisse Ciceronem. Et jam ideo, ut alia omittamus, Ciceroni mulierum afferenda erant exempla, quod ipsi perspiciendum erat, naturae imbecillitatem saepissime habere animi firmitatem, itaque contra fortunam esse pugnandum. Pugnasse autem ipsum contra eam, sed esse superatum, docent Lactantii verba, quae supra attuli (p. 17.); et Cicero ipse idem in consolatione est confessus, sic verba faciens: „Cedo et manum tollo [3]).“ —

Quum autem Cicero non sibi uni, sed, aliis etiam, qui iisdem in calamitatibus versarentur, prodesse vellet,

---

1) Tusc. II. 18, 43. — 2) ad famil. IV. 6, 1. — 3) cfr. Lact. inst. III. 28, 9. —

omnes hominum querelae atque lamentationes diluendae erant, veluti vitam brevissimam esse, liberos saepe puerili aetate morti succumbere etc., et eo magis Ciceronem eas refutasse arbitror, quod idem fecit in Tusculanis et Plutarchus in consolatione. Hic erat locus commemorandi, esse inutile neque quidquam attinere, frustra affici maerore, quippe quo dolor augeretur. Magnum esse in vitae laboribus solatium, si nobis essemus conscii, neque nostra culpa id factum, neque quidquam esse, quod accidere non posset; itaque sapientis esse non confici dolore atque maerore, sed fortunae ultro cedere; hanc vitam brevissimam evadere cum aeternitate comparatam, sed longam, si compararetur cum ea, quam juxta Pontum quaedam bestiolae ducerent [1]); neque infelices esse liberos, immatura morte de propinquorum amplexu abreptos, quippe qui senectutis miserias una cum vita aufugissent; ea lege nos esse natos, ut ne expers quisquam esset mali in perpetuum; eandem omnes manere mortem, neque ullam ejus legem vel aetatem a diis esse constitutam; neque esse certum, quid mortuis, si diutius vixissent, accidisset, utrum bona an mala fruituri fuissent conditione, mortem autem in meliorem, neque saltem in deteriorem statum abducere. — Ciceronem, ejusmodi hominum querelas ut refelleret, operam dedisse, recte judicasse mihi videor; Crantor enim jam scripserat, maximum maerentis esse solatium, si sibi esset conscius, non sua esse factum culpa [2]); et Cicero ipse dicit, nihil tam elevare aegritudinem, quam cogitationem, nihil esse, quod accidere non

1) Tusc I. 39, 94. cfr. Plut. cons. c. 17. — 2) Plutarch. c. 25.

possit, neque malum quidquam nisi culpam, eam autem esse nullam, quum evenerit, quod ab homine non potuerit praestari [1]); sese consolari debere, qui maereat, cogitatione, haec omnia esse brevia, fugacia, caduca, etsi habeant gloriae speciem. Quae ut magis ostenderet Cicero, Euripidis Hypsipylae versus eum laudasse suspicor, quibus Amphiaraus alloquitur Eurydicen, Archemori mortui matrem:

„Mortalis nemo est, quem non attingat dolor
morbusque; multis sunt humandi liberi,
rursum creandi, morsque est finita omnibus,
quae generi humano angorem nequidquam adferunt.
Reddenda terrae est terra, tum vita omnibus
metenda, ut fruges. Sic jubet necessitas [2]).

Haec fere sunt, quae aut certis argumentis aut probabilibus conjecturis demonstrari posse visa sunt de consolationis argumento, quam ob rem manum de tabula, ne videar dedisse plus hariolationibus, quam certis argumentis. — Quodsi reputamus, quanta diligentia veteres philosophos semper perlegerit, atque de variis eorum placitis atque argumentis egerit, omniaque suo judicio submiserit et sententias maximo ingenii acumine dijudicarit: non exigua nobis erit dolendi causa, quod consolationis libri pauca tantum nobis sunt servata fragmenta. Ne tamen frustra lugeamus, volumus nos a malis abducere ad bona et ad consolationem properare, qua nobis ementito Ciceronis auctoris nomine servata gaudemus. —

1) Tusc. III. 16, 34. cfr. ad famil. VI. 1, 4.
2) Tusc. III. 25, 59. cfr. Plut. cons. c. 16.

Pars posterior.

De consolatione, quae fertur sub Ciceronis nomine.

Hujus consolationis de aetate et auctore quum multae exstiterint doctissimorum virorum opiniones, neque minus variae fuerint conjecturae, primum ex libri historia, quae ad hanc rem pertinere videntur, afferemus; deinde nostram sententiam, quam novam nobis, postquam in animo omnia accurate volvimus, invenisse videmur, explicabimus et aliquot argumentis fulciemus, atque, etiamsi minus nobis contigerit, ut certum et verum libri hujus auctorem ostendamus [1]), tamen non minimum nobis erit gaudium, si, quod ad demonstrandum atque probandum proposuerimus, ad id, quoad pro viribus nostris potuerimus, propius accesserimus. Multi quidem erunt, quibus videbor perdidisse et oleum et operam, in quaestione versatus, quae in magno rerum dubio ita posita sit, ut is, qui eandem iteret, aut possit aut posse sibi videatur diversa argumentandi ratione refutare ea, quae jam pridem alii

---

1) Nulla enim ars difficilior est critica; praeter doctrinae enim copiam maximam requirit sagacitatem, et quandam mentis divinationem; neque ea omnino esse potest sine ulla prudentia neque sine moderatione, quae simul circumspicit omnia intentissima cura. Quae virtutes quum rarissime inveniantur conjunctae, factum est, ut vel summi viri interdum sint lapsi; (cfr. Pinzgeri libr. laud. pag. 4.) neque equidem mihi ascissere velim, ut quaestionem nostram ita, ut nihil sit reliquum, solvere possim.

his de rebus senserint. — Attamen minime indigna haberi debet talis quaestio, quum jam satis sit, opinor, ad veritatem accessisse, si ea ipsa cerni nequeat. — Quae quum ita sint, eo mihi esse contendendum, quam maximis possum precibus, credo, ut in benigna judicum humanitate paratum sit perfugium. — Sed jam satis verborum est metuoque, ne tu nimium putes, quam ob rem ad propositum transeamus. —

Caput I.

Consolationis libri historia.

Interregno, ut ita dicere liceat, et velut literarum deliquio finito, humanitatisque studiis expergefactis, postquam viri, antiquorum literis recreati, quasi ex diuturna totius valetudinis perturbatione ad adspiciendam lucem sunt revocati: omnium cogitationes et consilia imprimis eo referebantur, ut Ciceronis, quem Petrarcha, studiorum pater, maxime commendaverat, libri reperirentur. Is enim jam ipse, omni ope atque opera nixus, laboribus non pepercerat et aequo animo maximorum itinerum tulerat molestias, ut aliquod Ciceronis sibi carissimi scriptum adipisceretur. Neque minus, ut ipse est auctor [1]) consolationis librum undique quaesivit, sed contentionis atque industriae fructum non cepit, quam ob rem non est, quod miremur, ipsum tandem boni eventus spem abjecisse atque hunc librum in deperditorum numerum retulisse [2]).

---

1) cfr. Rerum senilium lib. XV, ep. 1. pag. 948. (edit. Basil.)

2) cfr. epistt. ad viros quosdam ex veteribus illustriores. (ep. II. pag. 705.)

Attamen cogitatione forsitan sese consolatus est, fore ut posteriorum temporum viri essent feliciores; sed neque discipuli neque, qui eorum vestigiis sunt ingressi, quamquam in alia literarum parte feliciores, quod attinet ad consolationem, minus infelices erant, quum, etsi enixe librum quaerebant, tamen nulla ejus vestigia reperirent. —

Multis demum annis post, a. 1583, per Italiam rumor manavit, Ciceronis consolationem, desideratam tam diu ab omnibus, esse repertam, casu quodam, ut primi dixerunt editores. Qui casus neque nos offendere potest, neque illius temporis eruditos offendit, quum multos libros forte fortuna tantum esse inventos constet. — Quam consolationem quum, postquam est inventa, in omnium manibus esse vellet, Venetiis primum formis eam describendam curavit descriptamque pervulgavit Vianellus quidam, quem ignobilem librarium Janus Guilielmus criticus nominat [1]), et qui, ut Sigonii epistolae ad eum frequentissimae ostendunt [2]), Venetiarum civis fuisse videtur. Eo autem consilio librum edidit, ut critica subtilitate judicium dicerent eruditi, quid de eo sentirent; scribit enim ipse ad Sigonium, sese librum typis exscripsisse, „ut uni cuique liberum judicium relinqueretur censendi de eo, quidquid visum fuisset.“ — Quae quum ita essent, consolationis libro, postquam in vulgus est editus, eadem fortuna erat ferenda, quam omnium scriptorum libri antea divulgati passi sunt; quo enim aegrius eruditi caruerant, eo vehementior animorum erat concitatio,

1) cfr. Scharffii comment. pag. 130. sq.
2) Nonnullae sunt in Sigonii opp. Tom. VI.

et ex omnibus doctissimorum, qui illa aetate fuerunt, virorum epistolis cognoscimus, quanto applausu liber sit exceptus. Quae etiamsi non haberemus testimonia, tamen hujus rei non essemus ignari, quum brevissimo temporis spatio per omnes fere terrae regiones, ubi tum antiquitatis studia florebant, librum esse pervulgatum omnes sciamus. — Ut autem nemo quodvis scriptum, etsi magnum Ciceronis nomen in fronte inscriptum est, nulla interposita dubitatione, germanum esse putabit, sed quisque quaeret, num omnia insint testimonia, quibus opus est ad demonstrandum, esse genuinum scriptoris, cujus nomen fert, librum: sic nostri quoque libri fuit sors. Quamquam enim initio consolationem tanquam Ciceronis opus acceperant, mox tamen nonnulli, non esse germanum ejus librum, sed a librario quodam suppositum contendebant. Cujus dubitationis prima quidem fuit causa, quod Vianellus neque virum, a quo codicem manuscriptum accepisset, neque locum, ubi esset inventus, pronuntiaverat, ut liber, omni certa auctoritate carens, viris doctis traderetur. Quae quum sic se haberent, exorta est controversia, quae jam primis temporibus sese in Italiae finibus non continuit, quum neque Gallia, neque, postquam a. 1584 Francofurti consolatio est exscripta, Germania, quae eruditorum copia abundavit, expertes essent de libri auctore controversiarum. Apud eruditos enim fere omnes constabat, consolationem uni omnium Ciceroni minime asseri debere, quum, in ea Ciceronis ingenium non reperiri, ex ipso scribendi genere librique stilo demonstrarent. —

Qui autem viri fuerint, quibus de consolatione disceptatio acerrima fuit, jam ante omnia videamus, ut sciamus,

utrum justum atque rectum de libro judicium proferre potuerint, necne. — Et primus quidem nobis occurrit Antonius Riccobonus, qui, Patavinus professor doctissimus, judicium de libro liberius publice fecit, minime Ciceroniani ingenii esse monumentum contendens, quamquam ipse eorum fuerat unus, qui consolationem maxima acceperant delectatione, et quamquam antea librum audientibus commendaverat dignum, qui legeretur. Qualiscunque Riccobono fuerit mutandae sententiae causa, multum certe valuit, quod Sigonius, cui, ut Scharffius recte est auctor, Riccobonus ex gloriae aemulatione iniquior fuit, librum etiam atque etiam laudaverat, quam ob rem Riccobonus, quem Hieronymus Mercurialis, medicus quidam, rogaverat sententiam, judicavit de libro hisce verbis: „Tantum abest, ut existimem, eam Ciceronis esse, ut nec Ciceroni quidem congruenter, tum rerum, tum verborum habita cura effictam arbitrer [1]);“ idemque demonstravit, neque fragmenta consolationis servata accurate esse adhibita, et multas voces sententiasque minime ad Ciceronis ingenium conformatas continere librum. Quod judicium quum legisset Sigonius, non acquievit, sed ut, quem librum antea commendaverat tantum, eum postea duabus orationibus et dialogo, qui inscribitur „accusator“, defenderet ac suppositicium esse negaret, est annixus, ita ut priori oratione argumenta pro libri auctoritate congereret, posteriori et dialogo adversariorum argumenta, quae contra librum

---

1) Riccoboni judicium de consolatione, denuo descriptum, invenitur in Sigonii opp. Tom. VI.

adhibuerant, refelleret [1]); tantamque hac in re ingenii virtutem atque doctrinam ostendit, ut Riccoboni argumenta paene profligaret atque frangeret. Quae quum ita essent, quumque Sigonius summum libri patrocinium non repudiasset, sibi ipsi maximam contraxit noxam; incidit enim adversariis cogitatio, fuisse Sigonium libri scriptorem. Atqui nobis est animadvertendum, a Riccobono nondum ita rem esse adductam in disceptationem, ut eum libri suppositi argueret, quum potius Mureti precibus commotus controversiam omitteret. —

Quo in certamine, quandoquidem excitatum erat, animi vehementes acquiescere non potuerunt, quam ob rem alii viri in certamine contra Sigonium asseverabant. Quorum princeps Janus Guilielmus fuit, vir elegantissimi ingenii et, ut Scharffius dicit, latina lingua caste pureque usus, qui assertione quadam contra Sigonium scripta, neque Ciceronis esse consolationem, quae ementito ejus nomine venditaretur, neque ejus ingenio atque stilo satis dignam, demonstrare est conatus. Et is quidem Guilielmus primus affirmavit, Sigonium aut ipsum composuisse

---

1) Oratt. et accusatorem invenimus in Sig. opp. Tom. VI. — Fabricius in bibliotheca latina contendit, Sigonium tres scripsisse orationes; eumque sequutus est Orellius, qui in Cic. opp. Tom. VI. P. I. pag. 468. commemorat postremam quandam Sigonii orationem pro consolatione Ciceronis, quae, quum priores duae orationes a. 1583. sint editae, et „accusator“ jam anno sequenti, 1584, (cfr. Krebs, Carl Sigonius etc., in appendice de Sigonii scriptis, p. 15. sq.), tertia est oratio, quippe quae primum edita sit a. 1599. Attamen neque quisquam praeter Fabricium tertiae orationis, quod equidem sciam, mentionem fecit et Riccobonus in hist. gymnas. Patavini (I. 16.) duas tantum orationes et accusatoris dialogum commemorat, neque in Sigonii opp. oratio III. invenitur.

libellum, aut scriptorem ignotum adjuvisse [1]). Attamen nullam attulit certam conjecturam, nullum argumentum, nullum signum, quod in quemvis non posset cadere. — Neque minus Lipsius adversus Sigonium dixit, sed ab aliis ejus adversariis eo discessit, quod consolationem nullius esse pretii contendit et miratus est, quemadmodum ulla de libello exsistere posset altercatio. Cui, quamquam Sigonium, si nominis ac famae libri scriptoris criminationem dissolvere niteretur, excusavit, tamen neque quemquam alium scripsisse librum nisi Sigonium, neque hunc omnem diluturum culpam persuasissimum erat. „Gaudeo", scribit d. XIII. Cal. Octobr. a. 1584 ad Janum Guilielmum, „gaudeo conspirare te mecum, cujus judicium super ea consolatione credo te jam vidisse [2]). Sed tu sodes, cur non acrius paulo egisti hanc causam? Debebas, et sine adspectu illius, quem nimis attollis, falsae hujus prolis patrem. Agnosco stilum disjunctum, otiosum, lentum, et illam (audeo apud te dicere) Sigoneitatem [3])." Sic scripsit idem Lipsius, qui decem annis post, sese revictum iri et, si vetus et primogenium exemplar proferatur, Tullii esse librum arbitraturum confitetur [4]). Sed satis hac de re. —

---

1) Quam Guilielmi assertionem quum frustra quaesiverim atque inspicere mihi non licuerit, praecipuam mihi habendam censui Scharffii rationem.

2) Scripserat Lipsius judicium de Ciceronis consolatione, quod denuo literarum formis expressum est in Tom. I. opp. Justi Lipsii, pag. 971. (Vesaliae 1675.)

3) Cent. I. miscell. ep. 66. cfr. ep. 75.

4) cfr. ep. 14. centuriae ad Italos et Hispanos.

Contra ea Guilielmi Lipsiique judicia neque exsurrexit Sigonius, ullum verbum ad sese defendendum interponendo, neque quisquam ejus causam contra adversarios tuendam suscepit. Sigonius enim paulo post est mortuus, quam ob rem fuerunt, qui ipsum pro maerore ob detectam fraudem obiisse contenderent: quorum princeps fuit Joa. Imperialis, qui in „Museo historico“ praeter multa alia inepta atque absurda hanc quoque fabulam narrat. Quo factum est, ut Sigonium verum consolationis auctorem fere omnes putarent [1]), neque quisquam esset, qui accuratius in superiorum criticorum rationes inquireret, praeter unum Scharffium, qui commentatione jam laudata eorum rationes pervestigavit exactissimoque judicio examinavit, et non Sigonium esse libri scriptorem, sed jam antea consolationem a viro quodam saeculi XV. scriptam demonstravit. Cujus judicium recentiorum nonnulli Ciceronis opp. editores sequi videntur, qui consolationis auctorem esse incertum contendunt [2]). Neque eo magis apud doctissimos viros caruit suspicione Sigonius. —

Quae quum ita se habeant, ut integrum faciamus judicium, nihil esse adhuc investigatum confiteamur oportet, quod nos cogat, ut re vera Sigonium libri fuisse auctorem statuamus. Quantae autem aleae opus suscipiat, si quis post tot tantorumque virorum judicia, quorum et

---

1) Solum Blacklockium libri patrocinium, sed frustra suscepisse auctor est Orellius (Cic. opp. Vol. VI. P. I. p. 401); quem Blacklockii librum, cui nomen erat Paraclesis, quum non habuerim, meum de eo judicium interponere nequeo.

2) cfr. Cic. opp., quae manserunt omnia, ed. Reinhold. Klotz. Part. IV, vol. III.. praef. p. XVI.

hodie doctissimi quique sunt, ejus auctoritatem velut postliminio reducere conetur, haud me fugit; attamen, postquam, quia non semper eligit fama, aliquando et errat, curiosius in tam mirae suspicionis atque condemnationis causas inquirere aggressus sum, maximam adversariorum Sigonii calumniam aut levitatem deprehendi, quam ob rem nefas fore duxi, nisi meam hac de re dixissem sententiam. Afferam igitur argumenta, cur neque Sigonius, neque, quem alii putaverunt, Vianellus consolationis esse possint auctores, sed antea commemorandum est, librum certe non esse Ciceronis germanam consolationem, etsi fateri cogimur, eum quam optimo et ad Ciceronis ingenium accommodato stilo esse scriptum, nonnullisque in locis quandam dictionis Ciceronianae similitudinem deprehendi, quam ex imitatione ortam recte contenderimus, veluti infiniti hoc in libro sunt loci, quos iisdem fere verbis vel imitatus est auctor vel descripsit ex Ciceronis libris, maxime ex Tuscull. disputt. Multas tamen formulas ex nostris temporibus et sacris petitas, multaque alia invenies sermonis vitia, et locutiones, quae potius sermonem quotidianum, quam scriptorum, multo autem minus Ciceronis usum redolent quaeque ab aureae aetatis scriptoribus vitari solent. Laxo porro ex sententiarum nexu, ex mala sermonis conformatione, ex constructionibus minime ad linguae latinae naturam accommodatis multisque aliis ex rebus, quas nemo Ciceronis negligentiae imputare possit, intelligitur, eum libri scriptorem non fuisse. Praeterea universa dictio magis esse videtur hominis cum loquacitate quadam narrantis, quam eleganter et distincte scribentis. Accedit, quod permulta argumenti exempla

fere ad verbum hausta sunt ex Valerio Maximo [1]). Ne tamen plura dicam de libro non a Cicerone scripto, delego ad judicia de consolatione contra Sigonium interposita; id unum commemorare liceat, adversarios saepissime, ut jam Lipsii epistolae, ex quibus supra in exemplum pauca subjeci, ostendunt, in libri vituperatione aequitati parum consuluisse; plerique enim, ut auctor est Menzini, eruditi brevi in opusculo, veluti faciei lineamentis, Tullianam indolem inesse fatebantur [2]), idemque nobis dicendum est. Sed missam faciamus libri historiam et ad aliam eamque graviorem quaestionis partem accedamus. —

Caput II.

Neque Sigonius consolationis fuit auctor, neque Vianellus.

A Vianello, virorum, quibus falsi crimen exprobratum est, posteriori, quum neque auctoritate gravis fuerit, neque de ipso multis opus sit verbis, initium faciamus. Quem, cui praenomen fuit aut Francisco aut Carolo, (nam et Carolus et Franciscus libri editor Vianellus nominatur) quamquam aliunde non cognoscimus, nisi quod Manutius adolescentem omnium modestissimum et inge-

---

1) Singula afferre non videtur operae esse pretium; satis est, ut dicam, Periclis, Xenophontis, Anaxagorae, Marcii Regis, Theagenis Numantini aliorumque historias in Val. Max. inveniri nostrique libri auctorem Valerium fere ad verbum transscripsisse. cfr. cons. §§. 77. 80. 82. Val. Max. lib. V. Cap. 10.

2) De literatorum hominum invidia. cap. 9.

niosissimum eum appellat [1]), certis tamen, ut jam ex Guilielmi verbis supra allatis patet, auctoribus comperimus, eum ex doctrina neque gloriam consequutum, neque unquam viris literatis annumeratum esse. Quae quum ita sint, apparet, eos, qui Vianello tantam stili atque ingenii Ciceroniani cognitionem, quae ex interioribus et reconditis literis pendet, tribuerint et qui ab eo consolationem esse compositam contenderint, perperam judicasse atque manus (Scharffii usus sum verbis,) obstetricias cum utero materno confundere. Accedit enim, quod ne primi quidem adversarii eum intellexerunt talem, qualem libri auctorem fuisse necesse est, quum eum nunquam falsi criminis arguerint. Neque minus argumenta, quae infra attuli, Vianello favent. —

Ad Sigonium igitur transeamus, sed praefari liceat, neque omnes eum in falsi crimen vocasse, neque, qui in ipsum crimen contulerunt, iis prius in suspicionem venisse, quam omni cura atque cogitatione in librum defendendum incubuerit; quo factum est, ut sola suspicione innixi omnibus certis carerent argumentis nullasque firmas rationes in medium afferre possent. Quorum tota ratio vertebatur in eo, quod Sigonium libri scriptorem esse, quippe qui omnibus argumentis pro libri auctoritate propugnasset, affirmabant neque considerabant, quicumque libri cujusvis auctoritatem defendisset, eum nondum esse ejus scriptorem. — Novam igitur placet instituere viam, ipsa novitate fortasse salebrosam neque ingrediendam, nisi omnibus causis accuratius exploratis. — Si

1) cfr. Krebsii libr. laud. p. 60. Not. 84.

enim quaerimus, unde factum sit, ut Sigonius libri causam susceperit, occurrit nobis, eum, ut saepe contingit aliis, in errorem ita esse inductum, ut de libro tanquam de bene scripto et Ciceronis ingenio haud indigno judicarit. Ne tamen in diversas trahamur partes, accuratius cognoscenda nobis erit animi atque ingenii Sigoniani indoles, quae maxime, quod velimus, docere nos potest. —

Certis auctoribus, Sigonio aetate proximis, comperimus, eum fuisse virum summa integritate atque innocentia, morum probitate atque modestia, tantumque abfuisse, ut invideret iis, qui superiores essent, ut vel inferiores summo afficeret honore, eumque ne scriptis quidem in suam famam exsultasse neque gloriam, cui saepe indulgent etiam boni, ostentanda virtute aut per artem quaesivisse. Accedit, quod et maxima fuit severitate neque vir, qui aliud sensit, aliud est loquutus, sed erga omnes, nisi forte injuriam sibi factam putavit, comis et humanus, in amicos non magis quam adversarios officiosus. Vitam vixit tranquillam et simplicem, neque controversias intendit, neque in controversiam vocatus, quamquam haud raro cavillationis, ironiae, dissimulantiaeque prae se tulit speciem, justum transivit modum; quam primum autem fieri potuit, ejus fecit finem. — Quacunque igitur, aliis omissis, ingredimur, in aliqua vestigia ponimus Sigonii laude. Imprimis autem praedicatur veritatis amor, quem summum reliquis virtutibus animique bonis adjunxit, et qui in assiduitate atque diligentia, quam historiae adhibuit, maximi fuit momenti, quum non reciperet omnia credulus, sed certas firmasque res expeteret ideoque, etiamsi, sese ipsum maerore affecturum,

potuit praecipere, compluries exsurgeret contra falsas opiniones: quod quidem eo magis potuit, quum maximas antiquitatis scientias ita conjungeret cum veri amore, ut omnium celebraretur sermone, quumque accederet incredibilis sagacitas, qua tenebras, quibus crassis occultata et circumfusa antiquitas latebat, aperire studebat [1]). Nonne omnes, quas dixi, Sigonii virtutes nobis consolationis ab ipso scriptae negant testimonia? Sed hac de re inferius. —

Postquam autem Sigonii virtutes solas, quam maxime intentis, ut ajunt, oculis, contemplati sumus, et quoniam in eum sermo pervenit locum, ut de iis jam satis mihi videar dixisse: non alienum erit, aliam attingere rem, quae ejus ingenio facere possit invidiam, quae tamen, si propius accesserimus, ad virtutes levis, non videbitur esse digna commemoratu ad minimumque reducitur. Sigonio enim maxima literarum scientia neque minori sagacitate praedito, non est, quod miremur, eum nihil ab auctoritate sua discessisse, sed potius magnam de se habuisse opinionem ideoque sententiam, quam, non omnibus probatam, ipse, sive vera fuit sive opinata, certam habuit, usque adeo optimam judicasse, donec penitus ab adversariis fuerit convicta. Quam rem utcunque nominaverimus, vel constantiam vel tenaciam: semper eam esse animi, qui sese penitus inspexerit sibique confidere potuerit, quum, quantum valeat, non ignoret, fatendum nobis erit. Qua ex constantia (liceat hac voce uti, quum altera rem satis exprimere non possim,) multarum maximi

---

1) cfr. Krebsii libr. laud. p. 67. sqq.

momenti rerum, quae in Sigonii vita offendunt quasque aliunde non perspicimus, causas repetere possumus. Ut omittam, quae a proposito aliena videntur, id solum attingam, quod ad locum nostrum pertinet. Potuit enim Sigonius, etsi vir antiquitatis et linguae latinae peritissimus, falli, ut permultis variis in rebus contigit; postquam autem in errorem est inductus, in sententia sua, quam optimam putabat, perseverabat, donec adversarii eam argumentis diluissent falsamque esse docuissent. Et ne argumentis quidem nisi firmissimis in eorum sententiam traduci potuit, qui id solum sunt consequuti, ut huc atque illuc ad rationes sententiae suae afferendas circumspectaret. Quae quum ita sint, quum praeterea, ut jam Scharffius recte monuit, ex libri defensione atque maxime ex „accusatoris" dialogo, eum studiose quidem, haud tamen serio atque ex animo causam suscepisse, facile intelligi possit, quumque solis amicorum precibus permotum sese labentis causae patrocinium subiisse, ipse sit testis [1]): sine ulla dubitatione, non satis Sigonium explorate perceptum habuisse atque cognitum, librum ab eo, ad quem referatur, esse conscriptum, colligere possumus. Quod ne sic accipiatur, cavendum est, tanquam Sigonius viros eruditos ludibrio habuerit, librumque per ridiculum tantum defenderit; quod equidem sane non dixerim. Qui enim eum, qui et quantus fuerit vir, altissime inspexerint, non ignorant, Sigonium a joco et hilaritate, non minus alienum fuisse, quam a fraude fallaciisque. Quam ob rem equidem hoc velim sic intelligi,

1) Scribit enim: „Accesserunt amicorum adhortationes, ut patrocinium labentis causae susciperet". cfr. Scharffii comment. laud.

ei, hunc Ciceronis germanum esse librum, modo fuisse persuasissimum, ideoque adversariorum impetum maxima cura omnique cogitatione ab ipso esse propulsatum; tum autem postquam non legit sed lectitavit consolationem, aliter ipsum de libro judicasse, tamen non omnino ad adversariorum sententiam esse adductum, quippe quorum de adulterino libro argumenta non satis efficerent ad demonstrandum. Sententiam autem Sigonii ad contrariam inclinasse, epistolarum etiam commercium cum Vianello docere mihi videtur. Fecerat enim Vianellus eum certiorem, sese hujus libri manuscriptum codicem cum aliis, qui itidem ab operis describerentur, accepisse. Quod quum legisset Sigonius, jam ipse in controversiam vocatus, ad Vianellum, ut ab imposito crimine purgare se posset, scripsit: „Eleganter admodum feceris, si totam hujusce rei historiam comiter hominibus exposueris.“ Quo modo autem Sigonius, si aut scriptor aut libri suppositi conscius fuisset, cohortari potuit, ut, qui librum edidit, rem totam explanaret? Nonne timendum erat, ne, si ad hominum aures permanasset, ipsum, quamvis maxima de libro certasset cura, tamen ejus auctorem fuisse, in summam invidiam adduceretur? Sed forsitan dixerit quispiam, Sigonium, ut viris doctis glaucomam ob oculos objiceret et suspicione se exsolveret, Vianellum, ut rem explanaret nequaquam veram, cohortatum esse. Quod si ita esset, fraus fraudi fuisset addita, quae quidem, opinor, animo bene a natura informato, ut Sigonii animum fuisse subornatum satis demonstrasse mihi videor, contraria est. Accedit, quod epistola haec ad Vianellum data, neque erat destinata, ut ab omnibus legeretur,

neque prius publici juris est facta, quam, Sigonio mortuo, librorum ab ipso relictorum corpus comparabatur. — Hoc dicere volui illis, qui nihilo minus Sigonium libri scriptorem esse putarent. Neque jam est opus commemorare, Sigonium, si quidem libri auctor fuisset, primis diebus, quum alter Cicero omnium ore ac sermone consolationis scriptor celebraretur, editurum fuisse nomen suum, quia tum demum ambitioni, si quam habuisset, satisfecisset. Ambitionem dixi; nam quid est aliud, quam ut satisfaciat ei, quod appetit, qui sub ementito magni cujusdam scriptoris nomine librum confecerit scriptumque ediderit? Atqui alienus fuit Sigonius ab ambitione, neque permisit veri amor, quo erat impletus, ut fraudem faceret. —

Aliud accedit argumentum, ex quo conjicere possumus, Sigonium consolationem non scripsisse. Quicunque enim ejus libros diligenter revolverit scribendique genus cognoverit, facile perspiciet, ejus sermoni atque dictioni aliquid inesse eximium, solius ejus ingenii proprium, eumque neque Ciceronem neque alios scriptores imitandos sibi proposuisse, sed sibi ipsum exemplo fuisse. Ad suum arbitrium, ut sensit, ita scripsit, saepissime etiam ipse figuras dictionesque sibi formavit. Quae quum ita sint, optimo jure nos consolationis librum a Sigonio abjudicaturos jam est perspicuum. Proprium enim scribendi genus in libro quoque, quem confecisset aliquis ementito nomine, foret, quum haud ita quisquam posset versare naturam, ut alios libros alio sermonis genere conscriberet. Nihil autem in consolatione reperitur, quod Sigonii orationi proprium inest, et quamquam Lipsium id

quidem contendentem vidimus, primo tamen obtutu apparebit, librum hunc neque periodorum numero neque verborum compositione Sigonii elocutionem repraesentare, cujus rei jam auctor fuit Scharffius. Isto igitur in loco nullum sibi praesidium petere possunt, qui Sigonio consolationem vindicare conantur. Singillatim omnia transire et usque in verborum periodorumque latebras abditas persequi non modo jucundum esset et utile, sed etiam necessarium, ut Sigonii scribendi genus nostrique auctoris indolem eorumque distantiam penitus cognosceremus: attamen exempla atque argumenta opinionis meae non afferam, quum verear, ne taedium afferam, et quum ne ipse quidem huic argumento aliquam vim tribuere velim. Ad alia igitur transeamus graviora. — Quamquam enim, Sigonio mortuo, omnibus in latebris, ut libri ab eo scripti vestigia reperirent, quaerebant eruditi, nihil tamen, quo adversariorum sententia confirmari posset, est inventum; id potius auditum, Sigonium, jam in vitae discrimine versatum, nomen consolationis scriptoris famamque a se rejecisse, quod Antonii Gigantis cujusdam verbis testimonioque demonstratur [1]). Quae quidem res quamquam non est gravissima, tamen ad causas jam allatas novi aliquid testimonii affert, praesertim quum libri argumentum sermonisque habitus et color ita sint emendati atque compositi, ut consolatio pro ingenii cujusdam exercita-

1) Conjunctissimus cum Sigonio consiliorum societate fuit Gigas, cui, postquam Sigonium, num librum illum scripsisset, rogavit, hic, sese librum neque scripsisse, neque, a quo esset scriptus, scire, respondisse fertur. — Plura hac de re invenies in Tiraboschii bibliothec. Modenens. Tom. V. p. 107. cfr. ejusd. Storia della letterat. italiana. Moden. 1787. (Tom. 1. pag. 315. Not.)

mento facile possit haberi, non pro falsarii opere. Si enim librum falsarius scripsisset, ut sub nomine ementito venditaret, alia ratione, opinor molitus esset. Qua de re recte Scharffius judicavit hisce: „Majori circumspectione in fragmentis innectendis et dictione genioque Auctoris exprimendo usus esset, qui orbem obtrusa mentita hac prole fallere apud animum constituisset.“ Quod si non statuerimus, nihil aliud est reliquum nisi ut contendamus, eum, qui librum composuit, ignarum fuisse imitando Ciceronis ingenium effingendi et exprimendi, atque ita multas esse ortas discrepantias; hoc autem ne unum quidem dicturum arbitror. —

Adjuvant praeterea opinionem meam, ne dicam vitia, tamen errata quaedam in historiis a consolationis auctore facta, qui, ut unum afferam ex multis exemplum, Decios in proeliis contra Latinos pro patria mortuos facit, quod satis demonstrat, libri scriptorem aut ita accurate, ut falsariis mos est, scribere noluisse, aut nullam antiquitatis memoriam, collegisse. Si prius statuamus, concludere debemus, non fuisse falsarium quendam libri auctorem; si posterius pro certo habeamus, alius librum scripserit necesse est; nam ad Sigonium, historiae Romanae peritissimum, tale erratum non pertinere, quis est qui neget? Quae argumentatio utcunque est, novum aliquod libri a Sigonio non suppositi datur testimonium, cui maximam argumentandi vim tribuamus oportet. Sunt enim in consolatione, quae nostris in manibus versatur, varia menda, quae quasi digito demonstrant, jam antea, quam liber ab operis est descriptus, codicem ejus parum claris literis scriptum exstitisse. Equidem id non ago, ut omnes

afferam locos, ex quibus pateant, quae dixi: duo tantum menda, unde facillime intelligitur, quod velim, conspicua facere liceat. Omnes, quas inspicere mihi obtigit, consolationis editiones habent §. 88: „Quo facto judicavit et vir sapiens et Platonis discipulus etc. [1]).“ Attamen, si totum oculis perlustraverimus locum, facile apparebit, non esse sermonem de ullo Dionis judicio, sed potius, ut ita dicam, de indicio, quid faciendum sit iis, qui sapientes haberi velint; quam ob rem mea sententia verbum „judicavit“ nihil est nisi mendum pro „indicavit“, quod ostendendi ac demonstrandi vim habet. Quae res utcunque est, id tamen efficere mihi videtur, ut in libro inesse menda affirmemus, quae aliunde orta nullam habent explicationem. Referamus enim animum ad alteram, quam afferre volui, vocem. Quo modo „Traheaspas“, quod nomen, ut tota ex consolationis narratione (§. 89) jam concludi potest, nullum alium significat virum, nisi, quem Herodotus (histt. III. 35) Prexaspem nominat; quo modo, quaeso, falsum Traheaspae nomen ejusque originem interpretari possimus, nisi statuerimus, habuisse primum libri editorem codicem quendam vetustum et literis minus compositis neque claris scriptum [2])? Cui sententiae aliud insuper testimonium est adjumento. Non enim est negandum, librum consolationis exstitisse manuscriptum, expressis antiquitatis literarum

---

1) Locos afferam ex edit. consolationis, quae est in Cic. opp. ed. Klotz. Part. IV. vol. III. pag. 372. sqq.

2) Neque, quantum equidem scio, in Herodoti codicibus manuscriptis hoc librarii mendum invenitur, neque in Senecae, qui (de ira III. 14.) eandem praebet narrationem.

materiaeque, in qua fuit scriptus, vestigiis praeditum. Quo de codice Tiraboschius in „storia della letteratura italiana“ scribit hisce verbis [1]): „Un nuovo dubbio (contenderat enim verbis antecedentibus, Sigonium fuisse libri scriptorem,) potrebbe forse destarsi contro di ciò da un picciol codice in pergamena, che trovasi in Bergamo presso l'ornatissimo Sig. Conte Giuseppe Beltramelli, il quale ha voluto gentilmente trasmettermelo, perchè con più agio il vedessi. Contiene esso l'opusculo de consolatione sotto il nome di Cicerone, ma imperfetto, e con parecchie lacune singolarmente nelle ultime pagine, e il carattere, in cui è scritto, può a prima vista sorprendere ed ingannare.“ — Jam Tiraboschius quidem monuit, codicem illum sine dubio non esse Ciceronis germanum librum neque vetustum; pergit enim: „Ma a me pare, che un' attenta riflessione sopra di esso scuopra e renda indubitabile l'impostura; e che esso sia il carattere di chi vuol contraffare l'antico; ma non è abbastanza abile per tale inganno.“ — Attamen tanquam lineas transilire videtur, si contendit, voluntate et judicio factum falsum codicemque ob controversiam, inter Sigonium adversariosque ortam esse scriptum. „Le lacune, inquit, vi furono forse poste con arte per render più verisimile l'antichità del codice; e io penso, che nel caldo della contesa allor nata taluno volesse con ciò accrescere autorità all' opinione di chi riconosceva come opera di Tullio quel picciol trattato. E forse vedendo poscia, che non era

1) Tom. I. pag. 315. Not.

troppo felice nell' esecuzione del suo disegno, desistè dal lavoro e lasciollo imperfetto.“ — Quod Tiraboschii hac de re judicium nihil habet mirum; id enim ipsi fuit persuasissimum, consolationem illam a Cicerone non accepisse originem. Quod quum perspiceret, sumere tantum potuit, Sigonium fuisse libri auctorem, quum omnis disceptatio usque ad ejus tempora circa hanc verteretur consultationem, utrum Cicero fuisset libri scriptor an Sigonius. Atque ita facile erat, ut, quum nullum alium praeter Sigonium libri scriptorem statueret, eo modo, quo fecit, codicis originem evolvere niteretur. — Quam Tiraboschii conjecturam si acceperimus, optimo jure, opinor, quaeri potest, cur Sigonius codicem, si eum aut scribendum curaverit aut ipse scripserit, (nam si librum per alium scribendum curasset, facile ei metuendum erat, ne tota res proderetur;) in aspectum omnium lucemque sui purgandi causa non protulerit? Atqui non alia fit codicis manuscripti mentio, nisi quam Vianellus in epistola ad Sigonium data fecit: quam ob rem haud ita multum a vero nos recessuros puto, contendentes, Sigonium neque ipsum scripsisse codicem illum, neque scribendum curasse. —

Multa igitur argumenta, quae librum a Sigonio non esse scriptum demonstrant, quasi arma inter se conjungunt; nam et Sigonii indoles a fraude maxime remota erat, et libri stilus discrepat cum Sigonii scribendi ratione; tum omnino ne minima quidem vestigia inveniuntur, ex quibus librum a falsario esse compositum conjici potest; denique ea, quae attuli Tiraboschii verba, praesertim si cum iis Vianelli epistolam ad Sigonium scriptam, cujus

verba huc pertinentia supra recepi, conferas, indicant, consolationem jam ante Sigonii tempora esse scriptam. — Alia accedit ratio, quae maxime adjuvat opinionem meam. Ne dicam, quod Sigonius nonnullis locis aliam praebet fragmentorum lectionem, quam in consolationis libro habemus; nam haec quidem res non tantum valet, quantum pro opinione mea affert tota adversariorum argumentandi ratio. Quorum omnes, ut paucis jam attigi, Sigonium fuisse libri auctorem contenderunt, nullis aliis argumentis nixi, quam quod consolatio summa cura ab eo defendebatur. Quid, quaeso, sibi vult talis argumentatio? Eodem jure neque minori verisimilitudine cuivis posteriorum temporum scriptori tribuere licet librum, quem defendit. — Quae quum ita sint, optimo jure fraudem a Sigonio abjudicasse mihi videor, quae summa etiam est Scharffii commentationis. —

Una sane hisce, quae proposui, argumentis obstat res; scribit enim Nisardus, Sigonium ipsum in literis nonnullis post mortem repertis confessum esse sese consolationis auctorem [1]). Quod testimonium si sequimur neque repudiamus, nulla est tota nostra argumentatio. Attamen neque ullus alius scriptor hisce de literis quidquam retulit, neque Nisardi, qui iisdem in verbis inscientiam quandam ostendit, testimonium est premendum: cui nihil in conspectu erat, quam quod jam multis annis ante

1) „En effet, beaucoup d'Italiens s'y trompèrent, entre autres Tiraboschi. Mais les objections simultanées de Riccoboni et de Lipse, fortifiées plus tard de quelques lettres inédites de Sigonius, dans lesquelles celui-ci avoue la fraude, ne laissèrent bientôt plus de doute à personne". — cfr. M. Charles Nisard: Le triumvirat littéraire au XVIe siècle. Paris 1852. pag. 65.

Tiraboschius in libro, quem supra dixi, scripserat, servatas esse literas Sigonii ad Camillum Coccapanum datas, in quibus sermo est de consolationis libro, tanquam esset Sigonii. Quae epistola quum pridie Idus Novembr. a. 1582 jam esset scripta, Tiraboschius effici posse hac ex re est arbitratus, Sigonium consolationem confecisse [1]). Cujus equidem animo gaudenti ac libenti essem sententiae, dummodo ne omnia, quae dixi, repugnarent, et alia inveniremus ad eam fulciendam argumenta, quae tamen desunt. Neque impedimur, quominus statuamus, jam a. 1582 nonnulla consolationis exemplaria formis descripta fuisse, quorum unum alterumve Vianellus simul cum literis supra memoratis ad Sigonium misit, ut cum aliis judicium de libro daret [2]); reliqua autem anno demum sequenti in publicum esse edita. — Quae etsi sola nituntur conjectura, nihil tamen, quod a verisimilitudine abhorret, in se continent; immo, si ita statuerimus, omnia inter se bene consonant. —

Sed jam nonnullos scriptiunculam meam intento animo perlegentes vehementer audio exclamare: „At tu, cuinam auctori consolationem nostram vindicare studuisti?“ Quibus

---

1) Presso il Sig. Marchese Lodovico Coccapani conservansi qui in Modena molte lettere originali del Sigonio a Camillo Coccapani uomo assai dotto di quell' età, e di lui amicissimo. Or in una de' 12. di Novembre del 1582, così gli scrive: „Ella dimandi alla Signora Tarquinia (Molza), se ha havuto una mia lettera con un mio libro de consolatione, il quale scrivea ch' Ella mostrasse a. V. S., il parere della quale desidero intorno a quello“. — cfr. Tiraboschi, storia della letteratura ital. Tom. I. p. 315. Not.

2) cfr. p. 60. Cujus epistolae quamquam nescio annum, quum inspicere eam non licuerit, tamen non dubito, quin hoc anno sit scripta.

ut respondeam atque ut demonstrare possim, qui mea opinione libri auctor fuerit, ad aliam quaestionis partem transeamus. —

Caput III.

De consolationis auctore conjectura.

Supra jam commemoravi, Scharffium sententiam protulisse, alium quendam fuisse libri auctorem; scribit enim sub finem commentationis haec: „Quodsi conjecturis indulgere liceat, ego scriptum hoc Sigonii temporibus paulo antiquius dixero, et a viro quodam fortassis sub finem saeculi XV inter primos literarum restauratores, Ciceronis valde studioso, animi stilique exercendi causa conscriptum dixerim; ut pote quo mos nimis servilis Ciceronem solum imitandi, qui hic passim elucet, vigebat, et doctissimis etiam hominibus sermo adhuc luculentus fluere deprehendebatur.“ — Sic de libri auctore Scharffius, quocum ejusdem sum sententiae, quamquam longius progressurus. Novam enim proponam de libri auctore conjecturam, quam ita probabilem judico, ut, si demonstravero, operae pretium mihi fecisse videar. Nimirum scriptam esse consolationem saeculo XV, attamen non sub finem, sed potius primis saeculi decenniis, arbitror, eamque scripsisse videtur Gasparinus Barzizius Bergomas; omnia enim, quae de eo memorantur, conveniunt in consolationis auctorem, neque ullum est indicium, quod repugnet. Sed opus est testimoniis, quae, quoad potuero, afferam. Quoniam autem rei cujusvis ratio tribus maxime cernitur partibus, hanc divisionem ita sequi sustinui, ut ostenderem primum,

Gasparini (sic eum nominare modo liceat, modo Barzizium,) temporibus Ciceronis scripta maxime imitatos esse eruditos; tum Barzizium ad stilum ingeniumque exercendum et Ciceronis libros perite explevisse atque restituisse et per se literas, quibus eum est imitatus, scripsisse; denique in ipsa ejus scribendi ratione et libris inesse argumenta quaedam ad demonstrandum ea, quae volo. — Veniam dent, quaeso, lectores benevoli, si longius repetam orationem; attamen sic faciendum puto. — Paucis jam attigi, Ciceronis libros magni fecisse et ut eos praeter alios haberet, operam dedisse Petrarcham, cui Cicero, ut ita dicam, lumen fuit eloquentiae maximum idemque ingenio praestantissimus Romanorum scriptor, qui non solum forma et lingua, sed etiam argumentis librorum omnes superaret [1]). Cujus in Ciceronem studii atque amoris, cum aetate simul accrescentis, finem non fecit Petrarchae mors; ipse enim discipulis et amicis quasi calcaria adhibuerat, ut Ciceronis libros pro viribus conquirere pergerent, quo ejus praestantiam in dies magis cognoscerent. Quae stimulatio quam bene cesserit, satis est notum neque mihi animus, ut hac de re dicam, nisi quod sufficit, Joannem Ravennatem, celeberrimum Petrarchae discipulum, qui non minus summo in antiquitatem maximoque in Ciceronem ardore inflammatus erat praeceptore, omnium animos ad accuratam Ciceronis cognitionem concitasse. Qualem habuerit eventum, neque minus quanto ipse impletus fuerit in Ciceronem amore, Leonardi Bruni discipuli demonstrant verba, Joannem ju-

---

1) cfr. ad viros illustr. vett. lib. ep. II. pag. 705.

vante deo eos, qui audiebant orationes, inflammasse, ut in studia humaniora artesque liberales summa industria incumberent et Ciceronem imitarentur [1]). Postquam igitur Petrarcha Ciceronem posuit antiquorum temporum monumentum, quod pie revereri deberent omnes quodque nequiret quisquam neque imitari neque oratione assequi: — Ravennas longius progressus, Ciceronem, quem et ipse omnibus vidit superiorem, exemplum proposuit, quod solum aemularentur. Neque emortuum est hoc Ciceronem imitandi studium simul cum ejus morte; jam enim literae in omnes vitae conditiones alias ideas, ut ita dicam, rerumque notitias induxerant. Antiquitas, quoad ipsa, antea occulta et quasi involuta, omni honestissimorum virorum studio et diligentia partim erat aperta, partim quotidie magis magisque e tenebris et silentio proferebatur, summum esse videbatur pulcherrimumque exemplum, quod cognitum habere non sufficeret, cujus comprobatio potius et vita et rebus praestanda esset cujusque pretium tum demum recte perspici posset, si quisque quam maximam daret operam, ut imitatio omnium ejus monumentorum literarumque ad similitudinem rei effingeretur. Itaque factum est, ut omnes, qui tum vivebant, viros uno tenore antiquitatis studia concelebrasse videamus maximaque cura Ciceronem, qui iis quasi totius antiquitatis vicarius et lumen quoddam exstitit, imitatos esse dispositione, forma, materia, stilo, maximeque sermone librorum. Quo autem magis feliciter atque accurate evenit, ut imitando

---

1) cfr. Voigt, die Wiederbelebung des classischen Alterthums. Berlin 1859. pag. 128.

Ciceronis verba et ingenium exprimerentur, eo magis scriptor quivis potuit sperare, comprobationem sibi tribuendam certam fore et magnam [1]). —

Quae quum ita essent, quid facilius inveniri potuit imitandi studio, quam ut talem tractarent materiam, in qualem ipsius Ciceronis opera jam investigata optime convertere potuerunt, praesertim quum Petrarcha, cujus admonitiones semper sunt sequuti, excitasset animos, ut attenderent? En locum, ad quem compositionem atque, ut ita dicam, fabricationem annectere possumus consolationis, quae, ut jam breviter commemoravi, non est a falsario quodam scripta, sed de qua rectius judicaverimus contendentes, eam ad ingenium stilumque exercendum esse compositam. —

Petrarcha, quum consolationem anxie quaesitam non invenisset, iis, qui ipsum sequebantur, negotium mandaverat libri quaerendi, et quum nusquam inveniretur, libri commemoratione eoque, quod quasi digito conspicuum fecerat, in Lactantii scriptis inesse consolationis reliquias [2]), subjecerat, ut fragmenta ibi servata propius aspicerentur. Atque ita facile quemquam in consolationis

---

1) Liceat mihi hoc loco afferre, quae de illo tempore paucis, attamen rem optime describentibus verbis dicit Bernaysius: „Künstlerischer Gestaltungstrieb tritt überall und übermächtig hervor; man glaubte das Gegebene sich erst dann anzueignen, wenn man es nachmachte; daher die imitatio veterum, das oberste Gesetz und die beengende Schranke dieser Periode, und daher auch der Anstoss zu so vielen unechten Machwerken, die sich aus jener Zeit besonders in der lateinischen Litteratur eingenistet haben". — cfr. Joseph Justus Scaliger, von Jacob Bernays. (Berlin 1855.) pag. 5. sq.

2) cfr. de ocio relig. lib. II. pag. 320.

restitutionem incidere potuisse, quum hac re et optime fragmenta illa cognoscere posset, neque minus aptum Ciceronis stilum ingeniumque imitando assequeretur argumentum, cui verbis disserendo praeter illa fragmenta alios quoque locos ex ejusdem scriptoris libris sumptos adhibere posset: jam non est opus exponere. Alucinantium autem, ut judicium meum de libro aliis reddam verbis, Italorum, quales tot illa aetas tulit, consolationis scriptorem quoque unum fuisse, quamquam doctiorem sane ceteris neque raro satis acutum, jam satis potest ostendere circulatoria libri loquacitas, qua easdem res ter quaterve recoquere non veretur. — Sed haec missa faciamus; aliquanto enim longius, quam a principio constitui, me video provectum, quam ob rem ad ea redeo, quae rem nostram propius tangunt. —

Eo tempore, quo omnes Ciceroni sese tradebant, vitam egit Gasparinus Barzizius, cui a patria cognomen erat Bergomati. Cujus de auctoritate atque gravitate in literarum campo quidquam dicere etsi hujus loci non esse arbitror, liceat tamen afferre, quae de eo dixit Furiettus, qui ejus gravitatem optime agnovit. „Usque adeo, inquit, Gasparinus provexit, ut ipsae (literae) omnia ei ornamenta referrent accepta. Nam conquisitis undique Ciceronis libris, qua in re praestanda nec solertia defuit, nec diligentia; ratus sui muneris partes esse, ut ii quam castigatissimi legerentur, id temporis, quod publicis et privatis lectionibus habendis non tribuebat, quodque corporis quieti ac alimento non concedebat, totum in illis emendandis collocabat. Hanc ob causam assidua ac familiari Marci Tullii lectione exsaturato facile fuit latinae linguae ve-

nustatem docendo scribendoque attingere, et variis eloquentiae luminibus aspersum sermonem in lucem proferre [1]).“ Haec de Gasparino Furiettus; nobis autem maxime est respiciendum, eum fuisse latini sermonis observatorem utique diligentissimum, qui jam latius ceteris eloquentiae fines protulit, quam ob rem, ut cum Furietto loquar, maxime dignus esse videtur, quem omnis posteritas gravissima commendatione prosequatur Sed haec hactenus. —

Vidimus modo, Barzizium prae ceteris labori improbo, ut Ciceronis libros undique conquisitos emendaret, totas ingenii vires attulisse. Quacum librorum emendatione naturali quadam societate conjunctum est, quod de Gasparino refertur, locos etiam non integros eum restituisse et supplevisse. Hic non erit dicendi locus, quantum in Quintiliani aliorumque scriptorum libris expleverit; non tamen praetermittendum existimavimus, quod dignum memoria visum, nonnullorum Ciceronis librorum lacunas eum supplevisse. Qua de re Blondus Flavius Foroliviensis in „Italia illustrata de Romandiola“ (p. 346), postquam narravit, a Gerardo Landriano, Laudae tunc episcopo, maximis in ruderibus codicem Ciceronis pervetustum esse inventum, adjicit: „Continebat is codex praeter Rhetoricorum novos et veteres, qui habebantur, tres quoque de Oratore integerrimos, Brutum de oratoribus claris, et Oratorem ad Brutum M. Tullii Ciceronis: unde liberatus est bonus ipse vir Gasparinus ingenti, quem assumpserat, labore supplendi, quoad poterat, librorum

1) Barzizii opp. praef. p. XXXIII.

de Oratore defectus [1]).“ Quibus ex verbis apparet, eum ejusmodi labori dedisse operam. Accedit, quod ipse Barzizius ejusdem rei est auctor, qui in epistola ad Henricum quendam Veronensem sic scribit: „Haec autem res maxime fecit me hujus tui libri (commentarii in officiorum Ciceronis libros,) avidum, quod vellem industria mea supplere, quidquid tempori detractum est [2]).“ — Quae ut facere posset, maximam utilitatem attulit, quod literis et sermone Ciceronis valde fuit eruditus. Sed ne rursus de Ciceronis imitatione dicam. Adjumento etiam erat magna memoriae felicitas, quam facile agnoscimus ex ubertate exemplorum ex historia graeca et romana petitorum, quae omnibus in scriptis reperiuntur. Quantum vero Barzizius in versandis Ciceronis libris ea indole sit adjutus quamque alienos non sensus solum, sed etiam loquendi genera quasi imbiberit et sua fecerit, jam non erit dicendum; permulti enim librorum loci satis possunt declarare. — Neque tamen acquievit in lacunis librorum Ciceronis maximam partem servatorum explendis, sed alia etiam scripta per se ipsum composuit, quibus Ciceronis stilum ingeniumque est imitatus; quod videre licet ex „epistolis ad exercitationem accommodatis“, quas Furiettus Tullianum nitorem redolentes appellare non dubitat [3]). Quare ubi vidimus, Gasparinum mutilatos Ciceronis libros supplevisse et ad exercitationem stili scripta composuisse, in quibus tota expressa est Ciceronis scribendi ratio: nihil obstat, quo minus contendamus,

---

1) Barz. opp. praef. p. XLI.
2) eod. p. 136.
3) cfr. eod. praef. p. XIII.

consolationem, quam nihil esse nisi excercitium quoddam (liceat ea voce hac in re uti,) supra diximus, a Gasparino esse scriptam, dummodo alia, quae in promptu sunt, argumenta opinionem nostram confirmaverint. De quibus priusquam dicam, ne moleste patiaris, quaeso, si aliam rem, quae, quamquam levioris est momenti, mihi quidem tamen non omnino supervacanea videtur, breviter attigero. Vera enim libri aetas et origo certius etiam definietur, si dixero, Gasparino omnes in manibus fuisse libros, ex quibus hausta videtur consolatio. Est autem jam pridem a viris doctis ea inter consolationem et Ciceronis libros, maximeque Tuscull. disputt. multorum locorum similitudo observata, ut manifestum sit, ejus auctorem sive ad verbum sive immutata locutione ex his hausisse. Accedunt permulta ex Valerio Maximo sumpta exempla. Neque minus alios adhibuit auctor libros, velut Lactantii, Hieronymi, Plinii. Quos omnes in manibus Barzizii fuisse, tum ipsius verba nobis testantur [1]), tum eo, quod vulgo ferebantur, non est opus magna temeritate, ut colligamus, Gasparinum quoque eos vel possedisse, vel facile impetrasse. Longe autem alia esse videtur ratio libri, cujus notitiam habuisse consolationis scriptor ipse confitetur quemque ad idoneorum exemplorum commemorationem saepius adhibuit. De Herodoti enim historiarum libris, utrum in Gasparini manibus fuerint necne, nullum habemus certum ab ipso testimonium. Quo mea quidem opinione non est opus; nihil enim impedit, quominus statuamus, Gasparinum Herodoti historias cognosse, dum-

1) cfr. Barz. opp. p. 150. 209.

modo meminerimus, primis jam saeculi XV annis Colucium Salutatum, ut graecos haberet historiae scriptores, operam dedisse [1]); facile enim, ut Herodoti liber, quem paucis annis post per Italiam invenimus notum, jam tunc illuc deferretur, fieri potuit. Quod si statuerimus, omnes difficultates infringemus. — Et cave credas, illis temporibus perpaucos viros notitiam habuisse linguae graecae, neque Barzizium literarum graecarum fuisse peritum; satis enim habeas, me verba attulisse Leandri Alberti, qui in libro „descrizione dell' Italia" (fol. 368), Furietto teste [2]), Gasparinum linguae graecae aeque ac latinae peritum appellare non dubitavit. Accedit, quod ex ipsius Barzizii scriptis apparet, eum graecorum scriptorum cognosse libros, de quibus judicium fert quibusque est usus; quod mea quidem sententia non potuit, nisi linguae cognitionem habuisset scriptaque legisset. — Sed transeamus ad alia et videamus, num ex ipsius scriptis opinionis nostrae testimonium afferre possimus. —

Qui linguam latinam cognoscunt eamque cum judicio ac ratione legere didicerunt, eorum nemo ignorat, ne optimos quidem Romanorum scriptores omnibus vitiis, quorum causas non semper possumus tribuere librariis, immunes fuisse, quum, etsi non soloecismos et barbarismos adhibuerint, tamen nonnunquam a vera scribendi ratione ac via aberraverint. Neque minus idem inveniemus in recentiorum scriptis, qui, quamquam rarissime, tamen pravum adhibuerunt vocabulorum, formularum, sae-

1) cfr. Voigt, libr. laud. p. 130.
2) Barz. opp. praef. p. XLIII.

pissime quoque constructionum usum. Quod si ad Gasparini scripta accommodaverimus et cum iis consolationem contulerimus, tamen, quamquam non semper eadem prorsus atque congrua apud eum habemus exempla, facile ab aliorum locorum similitudine haud pauca inveniemus opinionis nostrae argumenta. —

Sic, ut ad singula transgrediar, in consolatione vocabula quaedam sunt, rarissime a scriptoribus latinis adhibita, quae in Gasparini libris eadem leguntur, et si non sunt prorsus eadem, alia tamen adhibuit verba, quae non minus sunt inusitata, ita ut facile appareat, non jacere totam conclusionem, si contenderimus, eum, qui his usus est verbis, illa quoque, quae in consolationis libro nos offendunt, adhibiturum fuisse, si necessitas postulasset. —

Primi jam consolationis a Cicerone scriptae adversarii librum eo improbarunt subditicium, quod in eo invenirentur verba, quibus Cicero nusquam esset usus; quorum sunt captivitas, imperitia, caelestis patria. — Eadem autem apud Gasparinum, quamquam omni cura Ciceronis stilum et sermonem imitari studuit, saepissime inveniuntur. Sed haec parva et praetermittenda. — Alia, dixerit quispiam, in consolatione esse verba rariora, quae Barzizius non adhibuit. Quod quidem concedendum est: attamen aliis usus est verbis, quae simillima sunt istis a consolationis auctore usitatis. Si igitur in consolatione legimus voces, a scriptoribus tantum prope obscuris adhibitas, velut „absurditatem, profligationem“, etc.: eo magis cogimur, ut, dummodo semper meminerimus, Gasparinum, ut Tullii sermonem et nitorem exprimeret, operam dedisse, simili-

tudinem quandam esse statuamus consolationis cum ejus scriptis, quum multa, quae in ipsius libris nec prope usquam alibi inveniuntur, adhibuerit verba, velut „desolationem, prolixitatem, adversitatem“ etc. Cui rei, utcunque est, majorem tamen vim non tribuimus; plus auctoritatis habere videtur alia. Riccobonus enim jam pronuntiavit, non congruere cum linguae ingenio, si consolationi adhibita essent vocabula, velut „osor, detractor“, et similia, quorum significatio pluribus et per ambitum verborum proprie esset enuntianda, ut scribendum fuisset: „qui odit, qui detrahit“ etc. Atque contra hanc sententiam equidem non sum contenturus; id unum commemorare placet, nos Gasparini scripta oculis perlustrantes plane et omnino hanc latinae linguae legem, ut ex Riccoboni sententia hunc usum nominare velim, neglectam videre, quum contra sermonis ingenium iterum ac saepius verba adhibuerit simillima, velut „miratorem, gestorem, auxiliatorem“, et plura ejusdem generis, salva Ciceronis imitatione. Quae res nonne adjuvat opinionem meam? Accedunt alia argumenta. Manifestum enim linguae mendum, quo jam Riccobonus, ut librum adulterinum esse probaret, est nixus, continent consolationis verba haec (§. 37): „Sed Crantor noster patri, filii mortem aegerrime ferenti, responsum ait datum esse in psychomantio, filio suo bene beateque esse“ etc. — Quodsi in Barzizii libris quaerimus, in complura ejusdem generis menda incidimus, ex quibus efficitur, ut consolationis originem dilucide cognoscere possimus. Unum tantum afferam exemplum, quo sententia mea fulcitur. „Vale, inquit, et commenda me Petro nostro homini ornatissimo, et sibi

pro me dicas multas gratias [1]).“ — Neque minus probabilem reddit opinionem meam alius consolationis locus, in quo, qui librum funditus repudiarunt, sunt nixi. Legimus enim §. 72: „Non enim is ego sum, qui animum simul cum homine interire putem.“ Sic scribere potuisse negarunt Ciceronem, qui Platonis doctrinam esset sequutus, quum hic docuisset, hominem non interire, sed corpus solum; hominem autem esse re vera animum. Quae res, utcunque se habet, magni nobis est pretii hic locus; Gasparinus enim non dubitavit dicere, hominem interire[2]). — Unam praeterea consolationis cum Barzizii scribendi ratione similitudinem paucis attingere praestat, quae, quum pertineat ad verba non ita inter se conjuncta, ut latinae linguae fert consuetudo, majorem fortasse argumentandi habet vim. Legimus enim in consolatione (§. 134): „Nam si mors ipsa dolore suo corpus usque eo cruciaret atque angeret, ut haec doloris edere indicia cogeretur, negari profecto non posset, quin dolorem non levissimum mors ipsa esset adlatura.“ — Tali verborum compositione et constructione nemo, quantum equidem scio, est usus. Si tamen Gasparini scribendi rationem comparaverimus, simillimum et maxime genuinum inveniemus locum, qui non patitur nos dubitare, quin ipse hac in re non offenderit, quum simillima usus sit constructione non quotidiana. „Quoties enim, inquit, illud immortalitate dignum ingenium considero, — non video, quin sperare simile ornamentum possimus [3]).“ Sed haec de pravo verborum usu et constructione satis esse dicta puto. —

1) Barz. opp. p. 295. cfr. p. 194. — 2) cfr. eod. p. 81. — 3) eod. p. 24. —

Accedunt autem ad hanc similitudinem complures in Gasparini scriptis enuntiationes, quae cum quibusdam consolationis dictis ad verbum fere conveniunt. Quarum me omnes allaturum neque quisqam erit, qui exspectet, neque multis est opus; proponam igitur, quae maxime memorabiles mihi sunt visae. Jam Gasparini verba: „Quid enim accidere homini in vita potest, quod non divinitus imprimis ei contigerit“ [1]), nobis afferunt memoriam eorum, quae consolationis auctor ab initio scripsit et compluries iteravit. Neque opus est multis verbis, ut similitudinem quandam in consolationis (§. 74) et Barzizii (p. 198) locis cognoscamus. Sententiam enim, summam esse rationem et sapientiam, humanae necessitati imperare neque dolori cedere, exprimit Gasparinus hisce: „doces, nullum esse dolorem tantum, cui tandem vir sapiens non imperet.“ — Levioris sane haec sunt momenti, neque minus leve est argumentum, si memoraverimus, Gasparinum pariter atque consolationis auctorem scripsisse, unam consolari rem, quod nihil mali mortuo cuiquam potuisset accidere [2]). Maximam autem et verborum et sententiae similitudinem inveniemus, si verba consolationis (§. 199), quae afferam: „nihil enim praestantius aut beatius accidere homini potest quam eo loco donari, in quem, ut ascenderent urbis nostrae conditores“ etc., — contulerimus cum Barzizii verbis hisce: „Persuadeamus igitur nobis ipsis, — nihil omnium potuisse huic optimo Regi melius accidere, quam ut ad eum locum ascenderet, unde huc nobis a Deo missus fuerat“ [3]). — Porro est simi-

---

1) Barz. p. 58. — 2) eod. p. 25. — 3) eod. p. 97.

litudo magna inter consolationis verba (§. §. 41 et 42) et ea, quae Gasparinus, ut amicum consolaretur, scripsit: „Quod unum certe gravissimum, ac durum fateor; sed in hoc virtutis erit tuae, quantum praestes, caeteris ostendere: si enim fletibus fata vincerentur, non id quidem tibi soli concederem; sed me lacrymarum tuarum socium et participem, quamdiu flendum esset, haberes. Nunc verò cùm id à nobis fieri non liceat, neque si fieri posset, à docto viro optandum sit; magis videndum est, qualiter Deo gratificandum sit, quod talem virum habuerimus; quam dolore confici, quod amisimus“ [1]). — Eandemque sententiam, quam auctor noster exprimit §. §. 43 sqq., hisce scribit Gasparinus verbis: „nec repugnandum naturae, nec obsistendum, etiamsi possis, ab hominibus sapientissimis accepi. Quae verò nostrâ negligentiâ, aut errore adversa cadunt, ea meo judicio sapiens: qui nihil praestandum esse à nobis praeter culpam judicat: graviora vel morte, si acciderit, vel exilio, ac paupertate ducet“ [2]). — Neque desiderantur ea, quae consolatio (§. 55) continet, nihil valde grave accidere posse iis, qui spe jam propinqua futuri boni recreentur, apud Gasparinum, qui eandem sententiam (p. 330) hisce exprimit verbis: „Recte enim judicas, nullum malum oportere magnum videri, quod breve futurum sit“; atque se ipsum consolatur cogitatione, non diu sibi carendum esse fratre mortuo [3]). — Huc accedit alia sententiae verborumque similitudo maxima. Ut enim in consolatione (§. 49 sqq.) legimus, tempore dolorem evanescere; turpem tamen stul-

---

1) Barz. opp. p. 197. — 2) eod. p. 187. — 3) cfr. eod. p. 102.

tumque esse, qui haec doloris remedia exspectet: sic quoque Gasparinus: „Nullus quidem, ut ajunt, inquit, tantus dolor est, quem longinquitas temporis non minuat, atque molliat: hoc te exspectare tempus turpe est“ [1]). — Adjuvat praeterea opinionem meam alia neque levioris momenti similitudo, quae inest in consolandi ratione. Non enim, quod sciam, valde usitata est ratio, quam in consolatione (§. 166) legimus, mortem a multis erroribus abstrahere ad ipsamque veritatem cernendam atque fruendam perducere: attamen eadem sententia in epistola ad amicum consolatoria usus est Barzizius (p. 120). —

Quae res quum paene omnes non sint rarae, minime miror, utriusque scriptoris easdem esse sententias; ut autem eas descripserint verbis fere iisdem, non casu quodam factum esse mihi videtur, praesertim quum alium inspicere possimus locum, qui eandem sententiam eodem consilio adhibitam continet. Scribit enim consolationis auctor (§. 31): „Docemur enim exemplis a propagatione vitae permultos optimos et fortissimos cives incredibiles hausisse calamitates“, idemque infra (§. §. 115 et 123 sq.) exemplis demonstravit sententiam, saepissime optatam fuisse praematuram mortem, neque quidquam in se habere, cur non expetatur. — Atque eodem modo Gasparinus consolatus est amicum quendam de filii morte hisce: „Sed quaeso, cùm sis egregiè doctus, et saepe historias antiquorum legas, quem mihi ex summis viris dabis, qui non se potius optaverit in primis annis adolescentiae extinctum, quàm tot adversos casus, tot la-

1) Barz. opp. p. 197.

bores, ac molestias perpeti, quot etiam his, qui felicissimi habentur, continuè accidunt“: neque minus sententiam diuturnitate vitae saepissime omnes fortunae contumelias experiri homines, exemplis fere iisdem exposuit [1]).

Nonne magna sententiarum atque verborum similitudo stupidos nos detinet? Mea quidem sententia nulla librorum similitudo major esse potest, quam quae consolationi est cum Gasparini scriptis, ut, si opus fuerit, plura afferre possim opinionis meae argumenta, quum multa vocabula multaeque enuntiationes praeter allatas consentiant. Attamen ad aliam transeamus rem, quae magis commonstrat, quod velim. Ipse Barzizius auctor est nobis, sese saepe philosophorum libros de luctu minuendo scriptos legisse [2]); quibus ex verbis facile potest colligi, eum materiam talem qualem consolatio nobis praebet, maximam acquisivisse, atque ejusmodi opus scribendum tantum non abfuisse ab ipso, quantum a Sigonio. — Sed aliud sententiae nostrae accedere videtur argumentum, quod, quamquam solum non magni faciendum, tamen aliis conjunctum fortasse non omnino negligendum est. Codex ille, cujus mentionem Tiraboschium fecisse vidimus, in charta pergamena, quae res jam ad Gasparini tempora magis nos ducit, quam ad Sigonii, scriptus, Bergomi, in ipsa Barzizii patria, ubi et amicos habuit et propinquos, est servatus; qui quum tantum non contineret, quantum is, quem Vianellus describendum curavit, mea sententia aliud fuit consolationis exemplar ab amico quodam Gasparini factum, quod inchoatum reliquit, quam ob rem non observabatur, donec

1) Barz. opp. p. 119. — 2) eod. p. 187.

denuo repertum Beltramellus in bibliothecam recepit. — Sed utut haec res se habet, quum, ne in mera somnia haec de Gasparino consolationis auctore abeat conjectura, intra fines nobis sit consistendum, ad aliud accedamus argumentum, quod maximam fortasse habet vim. Quid enim de sermone atque lingua dicam consolationis? quae, quamquam, ut supra dictum, eleganter quidem et satis latine scripta, tamen exsanguis est omnique vi atque vehementia caret. Quoad vero de Gasparini ingenio ex literis nobis servatis colligere licet, homo fuisse videtur multae eruditionis et linguae latinae peritissimus: attamen iisdem ex vitiis omnia scripta laborant, quibus consolatio, neque minus egent orationis gravitate ac nervis, ut totum habeamus Gasparini ingenium, dummodo consolationem unam legerimus. —

Quae quum ita sint, verisimilitudinem certe attingere mihi videor, contenturus, Gasparinum fuisse consolationis auctorem; vidimus enim, eam esse ingenii exercitationem quandam, ad Ciceronis stilum imitandum scriptam; vidimus, Gasparinum tales ad exercitationem accommodatas literas composuisse, ejusque stilum et sermonem, quamquam Tullianum nitorem redolentem, tamen fuisse tam exsanguem, quam consolationem: nihil igitur obstat, quin, quum maximam et verborum et sententiarum consolationis cum Barzizii scriptis similitudinem cognoverimus, statuamus, eundem esse et consolationis et eorum auctorem. — Sed noli putare, non esse sumendum, eundem scriptorem easdem sententias, eadem fere verba bis vel pluries adhibuisse, quam ob rem alium quemquam libri nostri auctorem fuisse obtineamus, necesse sit. Talem enim

dubitationem nullam esse, ex se patet neque opus est disputatione. Omnibus enim hominibus accidisse puto, ut, si jam antea rem aliquam in scriptis tractaverint, in ea iterum pertractanda easdem sententias iisdem fere verbis vel inviti exposuerint. Quod si de Barzizio dictum putaverimus, facile inveniemus, recognosse ipsum alterum locum reminiscendo, quum alterum scripsit. — Rectius fortasse majorique cum verisimilitudine dixerit quispiam, nos, si Gasparinus fuisset libri auctor, vestigia quaedam hujusce rei vel minima inventuros sive in ipsius, sive in amicorum scriptis. Attamen ne hoc quidem loco ullum praesidium sibi petere possunt, qui Gasparino consolationem vindicari posse negant; cogitandum enim est, ex innumerabilibus virorum, qui eo tempore florebant, scriptis unam tantum eamque minimam partem prelo subjectam esse; reliquos autem libros tum perditos esse, tum in Italiae bibliothecis jacere et situ corrumpi, quoad editor aliquis eorum misereatur. Et ut ad Gasparini redeam scripta: jam Furiettus scribit, vel amissos esse quosdam ejus libros, vel detrimento desiderari [1]). Quae res utcunque se habet, nullam esse causam contendendi non inveniri ulla libri a Barzizio scripti vestigia, apparet.

Attamen si totam de consolationis auctore conjecturam retractamus, id mihi est concedendum, totam de libri origine et auctore quaestionem tantum abesse, ut ad finem adhuc sit perducta, ut disputatio, quae longe quidem est impeditior, a me nondum ita sit excussa atque exquisita, ut certi quidquam pronuntiare audeam. Argumenta enim,

---

1) Barz. opp. praef. p. XIII. sq.

in quibus nititur opinio mea, non omnem expellunt dubitationem, quamquam ad persuadendum magis sunt accommodata, quam quae adhuc de libro statuerunt viri docti. Una me consolatur res, fieri saepissime in talibus quaestionibus, ut non primo impetu ad finem sint perductae. Majorem fortasse fructum cepissem, si omnes mihi in manibus fuissent libri, quibus erat opus, ut haec disquisitio persolveretur; paucis enim tantum uti licebat, neque eos quidem habuissem, nisi maxima atque plane singularis ill. Hertzii prospexisset liberalitas. Quam ob rem quantum ei debeo, equidem nunquam obliviscar; libellus autem meus voluntatis professione excusabitur. —

VITA.

Bernardus Augustinus Schulz, fidel catholicae addictus, natus sum Valcii, urbe quadam Borussiae occidentalis, a. d. XIII. Cal. Septemb. a. MDCCCXXXVI, patre Stephano, matre Juliana e gente Zubdargiana. Parentes operibus rusticis victum quaerebant. Pater, quem praematura morte fere viginti tribus abhinc annis ereptum doleo, omnem mei educandi curam matri reliquit. Quae quanta pietate atque diligentia, quantaque assidua omnium virium contentione, ab avia materna venerabili egregioque vitrico fideliter adjuta, me a prima infantia eduxerit et vitae necessaria doctrinaeque praesidia, omnibus curis atque laboribus parata, mihi prospexerit, neque hic est locus scribendi neque, si vellem, verbis exprimere possem. Infantiae annis peractis, quum elementis literarum puerilibus in schola patriae publica institutus essem, progymnasium Valcense per sex annos et dimidium frequentavi; tum ut literis vacare pergerem, Tremesnam me contuli, ubi sub Friderici Schneideri directorio fiduciario gymnasium eo tempore floruit. Optime de me meruerunt praeceptores, imprimis, quem modo dixi, Schneiderus, cujus quoque quum publica, tum privata institutione factum est, ut veterum literarum studium magis magisque mihi placere coepisset; quam ob rem mortem ejus praematuram acerbissime tuli. —

Examine rite superato, auctumno a. MDCCCLV academiam Monasteriensem adii, ubi per sex mensium et anni spatium philologiae et theologiae operam navavi et Winiewskii, Schlüteri aliorumque vv. ill. ill. lectiones frequentavi. Unde Tubingam profectus per duo semestria, quorum alterum in theologiam, alterum, animo a theologiae studiis avocato, in philologiam verti, magno cum meo commodo scholis interfui Hefelii, Kuhnii. Reiffii, Rappii, Teuffelii etc. — Denique solam, ut dixi, philologiam amplexus almam petii Gryphiam, ut militiae officium absolverem, imprimis autem, ut literarum studia prosequerer scholisque interessem vv. ill. ill. Schoemanni et Hertzii; qui progressus meos

in philologia faciendos insigniter adjuverunt disputationibus atque ingeniosa veterum scriptorum interpretatione, et ea in me erant comitate, ut nunquam mihi deessent neque quaerenti neque roganti, qui etiam permiserunt, ut disciplinis suis in seminario philologico interessem: quam ob rem iis optime de me meritis maximam debeo gratiam. Imprimis Hertzii v. ill., qui in dissertatione scribenda consiliis librisque me adjuvit, plane singularis adeundi facilitas maxime omni tempore mihi erit praedicanda. —

Sed praeter veteres literas aliis non abfui studiis, quum, quae antea jam inceperam, hic quoque pergerem, historiaeque Schaefero illustrissimo praestantissimoque duce omni cura vacarem, neque minus in Germanorum linguam Hoefero, v. ill. h. t. rectore magnifico, adjutore optimo incumberem. Atque in his omnibus disciplinis quantos habuerim praeceptores, qui me diligentissime consilio et re sunt tuiti, semper admodum gaudeo neque obliviscar; ne tamen animi cogitationes in adulationem auctae viderentur, neve quisquam putare vellet, me hoc auribus solis dedisse, ab omni jam abstinere malui laudatione. —

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 866 4

THESES.

1. *Non fuit constituta respublica Romana ad privatam civium prosperitatem atque commoditatem.*

2. *Versus Iliad. XI, 489—91 sumpti videntur ex carmine quodam celebrante res ab Ajace feliciter gestas.*

3) *Falluntur, qui Tacitum dialogi de oratt. auctorem fuisse negant.*

4. *Tacit. histt. lib. I, cap. 7 verba: „et inviso semel principe seu bene seu male facta premunt“ etc. correctione egent.*

5. *Juven. satir. XIV, 229 legendum esse puto: „Et quin per fraudes patrimonia conduplicare“ etc. —*